suspensa a voluptate, sequestrata a vanitate. Tunc alieni per eam amplius non transeunt, quia nec maligni suggestio, nec spiritus elatio, nec carnis titillatio, nec mundi infestatio eam irritare ullatenus præsumunt: quam Sponsi felicitas, contemplationis reclusam thalamo, unionis lectulo inserit. Non transeunt, inquam, per eam alieni amplius; quia quæ impassibili jungitur et beato inseritur, nulla rerum molestia etiam ad modicum pulsatur. Per gratiam Sponsi, eam dico impassibilem factam, non substantialiter creatam. Sequitur :

Et erit in die illa, hoc est, in illa contemplationis claritate, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ. Montes, sunt contemplationum sublimia ; colles, innocentiæ opera; rivi, pœnitentiæ exercitia ; dulcedo, est perfecta dilectio ; lac, est sancta devotio ; aqua, devota compunctio. In illa ergo die, hoc est, in illa unionis felicitate, sponsa per gaudium contemplationis, dulcedinem, accipit perfectæ dilectionis : a qua descendens, et ad seipsam rediens affluit lacte devotionis. Unde sese præ amore superiorum crucians immergitur aquis compunctionis, indeque egrediens per pœnitentiam exercetur asperam ; post hæc ad innocentiæ trahitur opera, demum ad contemplationis avolat, dicens. *Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?* (*Psal* LXXII.) Item : *Elegit suspendium anima mea* (*Job.* VII). Tunc fons egreditur de Domo Domini, et irrigat torrentem spinarum ; quia ubertas et privilegium spiritualis gratiæ de secreto gaudio purissimæ manat conscientiæ, aculeos retundens vitiorum, motum compescens tentationum, flatum sedans desideriorum, et sedem poliens affectionum. Tunc fugatur ignorantia, tunc pessundatur carnalis concupiscentia ; quia mens claritate contemplationis illuminatur, et perfectione dilectionis concupiscentia sanatur. Ægyptus siquidem interpretatur *tenebræ,* per quas ignorantia : Idumæa, *terrena,* per quam carnalis designatur concupiscentia. Judæa vero et Hierusalem in æternum habitabuntur. Judæa, *confessio ;* Hierusalem, dicitur *pacis vicio.* Mens enim devota, et perfecta vel ad sui descendens cognitionem, delicta confitetur Deo per humilitatem compunctionis ; vel ad Dei ascendens cognitionem per gratiam contemplationis, sublimatur ad visionem pacis, et tunc in voce exsultationis, et confessionis sonus fit in ea epulantis. Nunquam fidelis anima deserit Judæam ; quia vel compuncta confitetur scelera, vel devota gratias agit propter gratiæ munera, vel sublimata eructat hymnum recipiens præmia. Tunc quoque Sponsus sanguinem mundat, qui hactenus mundari non poterat, quia per consortium unionis, Sponsus sponsæ præstat privilegium perfectionis, ut contra naturam natura sentiat, cui naturaliter natura obviat. Et tunc Dominus naturæ per privilegium gratiæ in Sion, hoc est, in specula gloriæ commoratur. Qui nostram purgare naturam, et suam nobis præstare gratiam, ad ipsius sublimitatis gloriam dignetur. Qui trinus et unus vivit, et regnat. Amen.

EXPOSITIO MORALIS IN ABDIAM.

PRÆFATIO.

Abdias quartus in ordine prophetarum, sermone simplex et sensu multiplex ; rarus in verbis, sed copiosus in sententiis. Juxta illud Salomonis : *Sapiens verbis innotescit paucis* (*Eccle.* XX), prophetiam suam litteraliter adversus Idumæam dirigit ; allegorice contra mundum, tropologice contra carnem stylum suum acuit; Salvatoris typum gerens, ipsius adventum subtiliter introducit, per quem mundus destruitur, per quem caro atteritur, per quem libertas redditur. Hinc est illud : *Si Filius vos liberaverit vere liberi eritis* (*Joan* VIII). Hic est Abdias, qui sub Achab rege centum prophetas in specubus latentes pavit : et dum corporalem ministrat alimoniam, spiritualem divinitus accepit. Prophetavit autem præfatus vir quando et alii prophetæ, Amos scilicet, Joel et Osee. Jacetque conditus in Samaria cum Elisæo et Joanne Baptista.

INCIPIT EXPOSITIO.

(ABDIAS I.) *Visio Abdiæ.* Abdias interpretatur *Domini servus,* per quem Salvator significatur. Unde et in Isaia sub persona Patris ad Filium loquentis ita legitur : *Audi, Jacob, serve meus, et Israel quem elegi* (*Isa.* XLI) Item ad eumdem : *Servus meus es tu, Israel; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque aa extremum terræ* (*Isa.* XLIX.) Hinc ipse Salvator humano generi exprobrans ita : *Servire,* inquit, *me fecisti in peccatis tuis* (*Isa.* XLIII). Quoniam vero quatuor sunt servitutis genera, alia namque est necessaria, alia conditionalis, alia muneratoria, alia liberalis ; videamus sub quo servitutis genere

servivit libertas, infirmata est virtus, humiliavit se felicitas, inclinavit se Deitas. Neque enim primo genere servivit, qui necessitate nihil fecit; neque secundo, qui captivitatem captivam duxit; neque tertio, qui hominibus dona dedit; sed sub quarto. Hinc est illud : *Holocaustum et pro peccato non postulosti tunc.dixi: Ecce venio* (*Psal.* XXXIX). Item : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei* (*ibid.*). Vere servitus libera, per quam nec natura corrupta, nec conditio mutata, nec pactio facta, sed voluntatis identitas obedientiæ inclinata. Hinc est illud : *Gratis venundati estis; et sine argento redimemini* (*Isa.* LII). Hæc de nomine. Nunc dicamus de visione. Prophetici idioma est eloqui, ut ibi consolatio ventura innuatur ubi visio ponitur. Unde et Abdias gentis adversariæ id est Idumææ, destructionem, quæ magnam Judaico populo attulit consolationem, in exordio prophetiæ suæ proposuit visionem, dicens : Visio Abdiæ. Ob humilitatis custodiam, propheta de se quasi de alio loquitur; quia privilegium meretur amittere, qui concesso dono abutitur, vel permissa potestate. Abdiæ visio, Verbi est incarnatio. De qua visione per Psalmographum dicitur : *De cœlo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum* (*Psal.* XXXII). Oculi Verbi, fuerunt judicium et misericordia. His oculis nostræ formam vidit redemptionis, dum incarnatam veritatem exhibuit judicii et misericordiam præmii; judicium discretionis, et misericordiam remissionis. His oculis respexit Petrum, quando eum et per veritatem judicii vocavit ad fletum, et per misericordiam ejus delevit peccatum (*Luc.* XXII). Primum aperiendo, diluit culpam, secundum, reddit gratiam. Hos sponsa laudat oculos, in Canticis dicens : *Oculi tui sicut columbæ super rivulos aquarum* (*Cant.* V). Aquæ, sunt cœlestis dona sapientiæ; rivuli, sunt donorum varietates; columba, dantis est gratia. Oculi igitur sunt columbæ super rivulos aquarum; quia et per judicii veritatem gratis illuminat, et per misericordiæ benignitatem gratis muneribus ornat. Visio igitur Abdiæ incarnatio est Sapientiæ, quæ oculo utroque respexit mundum.Juxta illud in Evangelio Joannis : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I). Sequitur :

Hæc dicit Dominus ad Edom. Id est contra Edom. Quid est dicere, nisi verbum proferre ? Et quid est verbum proferre, nisi a secretis exire ? Dominus ergo dicit, id est Pater protulit Verbum, quando Filius a Patre exivit, et venit in mundum. Sed quia de diabolo triumphare, ideo Dominus; quia gratis humanum genus liberare, ideo Deus mundum, et pompam ejus conculcare venerat, ideo qui contra Edom loquitur : Dominus qui timendus est, Deus qui diligendus est, contra Edom, qui conculcandus est. Timendus a diabolo, diligendus a populo suo, mundus conculcandus ab eo. Dominus ex genere victoriæ, et Deus ex muneribus gratiæ, contra Edom languorem sanando concupiscentiæ. Dominus ergo, quia hostem prostravit viriliter; Deus, quia civem liberavit misericorditer; contra Edom, quia mundi concupiscentiam expugnavit hostiliter. Edom ipse est Esau, qui etiam Seir nuncupatus est; frater Jacob simplicis, qui, propter lenticulæ concupiscentiam, primogenituræ amisit gloriam, et propter fraternam invidiam paternæ benedictionis perdidit gratiam. Hinc adversus fratrem gravi concitatus odio, dum virus fovit in cordo latitans, dilectionis corrumpens fœdera, in necem fratris exasperavit viscera, locum quærens et tempus infortunio. Unde dixit : *Veniens dies luctus patris mei: et tunc occidam eum* (*Gen.* XXVII). Per hunc ergo carnis designatur prudentia, mundi concupiscentia, semen pessimum, filii nequam et scelerati, inimici gratiæ Dei. Edom *terrenus*, Esau *sanguineus*, Seir *pilosus*. Sanguineus peccatis, pilosus negotiis, terenus curis. Sanguineus mundus utique in idololatris, pilosus in hæreticis, terrenus in carnalibus et pseudochristianis. Sed contra Edom Dominus Verbum misit, quod et peccati chirographum delevit, et quietem spiritualem præstitit, et æternam felicitatem spopondit. Chirographum venia, negotium gratia, curam exterminavit gloria : venia peccatorum,gratia devotorum,gloria æternorum. Hinc David : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum* (*Psal.* CXVI). Hoc, inquam, Verbum *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I). Hoc *capit vulpes pusillas demolientes vineas* (*Cant.* II); hoc *pauperes facit, et ditat*; *humiliat, et sublevat* (*I Reg.* II). Sequitur :

Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit. LITTERAL. Quæ obscure prius dixerat, nunc evidentius manifestat, adventum scilicet Christi ad destructionem peccati, ad salutem mundi, ad cognitionem veri, ad dilectionem summi boni. Legatus ipse est de quo Aggæus : *Ecce venit*, inquit, *desideratus cunctis gentibus, et gloria ejus replet orbem terrarum* (*Agg.* II). Legatus iste sub habitu paupertatis divitias nobis attulit immortalitatis. Unde Apostolus : *Qui pro nobis*, inquit, *pauper factus est, ut nos paupertate illius ditaremus* (*II Cor.* VIII), Legatus iste tria secum attulit : Lucem, unguentum, panem. Lucem cæcis, unguentum ægrotis, panem famelicis. Lucem exposuit in monte, panem in cœnaculo, unguentum in crucis patibulo. Lucem in carcere, panem in deserto, unguentum posuit in theatro : in carcere ignorantiæ, theatro carnis concupiscentiæ, in deserto humanæ miseriæ. Christus namque mundum illuminavit, pulsa ignorantia; ipse eum satiavit, ordinata concupiscentia; idem ipsum in melius commutavit, exterminata miseria. Unde ipse in Evangelio : Ego sum, inquit, via, veritas et vita (*Joan.* XIV). Via illuminando, veritas senando, vita felicitando. Primo contra ignorantiam secundo contra concupiscentiam, tertio contra miseriam. Quærendum est autem ubi, vel a quo de legatione ista propheta quidquam ac-

ceperat. Moyses in medium prosiliat, et quidquid eo acceperat aperiat. *Prophetam,* inquit, *suscitabit Dominus de fratribus vestris : ipse tanquam me audietis* (*Deut.* XVIII). Isaias quoque : *A finibus terræ,* inquit, *laudes audivimus, gloriam Justi* (*Isa.* XXIV). intuere, lector, laudes et gloriam Justi. Gloriam in futuro, laudes in præsenti. Laudem quippe promeruit multiplicem ; quia et ægrotis sanitatem, et egenis ubertatem, et captivis libertatem donavit. Sit igitur laus ejus in ore meo, qui me et sanitate reboravit, et ubertate ditavit, et libertate donavit. Post hanc arrham si pure et fideliter accipio, ego gloriam Justi accepturum me nullatenus dubito. Auditum enim audivimus a Domino, et legatum misit ad gentes. Quod autem auditum audivimus, dicit, locutio quidem minus est Latina, sed ex Græco fideliter expressa. Inculcatio vero verbi intentionem significat eloquii. Historialiter autem adventus regis Babylonici super Idumæos significatur : pro quo Dominus misit, quando ut veniret, justo judicio permisit. Hic enim vocatus est malleus universæ terræ, per quem Dominus dignatus est justissimæ vindictæ exercere judicia, et per quem justo Dei judicio innumeri populi attrita est superbia. Unde legitur in alia prophetia : *Fili,* inquit, *hominis, quid dabitur Babylonio regi pro labore, quod apud Tyrum servivit mihi? Da,* inquit, *ei regnum Ægypti.* Intuere, lector, formam divinæ providentiæ et ordinem vindictæ, et normam justitiæ. Babylonii siquidem expugnaverunt Assyrios, Medi Babylonios, Macedones, Medos, Romani Macedones, Christus Romanos ; sed ultima victoria non ex crudelitate acta est, sed ex benignitate et clementia. Aliis vero pro qualitate meritorum digne illata est ultio suppliciorum. Hæc per excessum juxta historiam diximus.

Nunc ea allegorice discutiamus. *Missus,* inquit, *legatus de valle Hebrom venit in Sichem* (*Gen.* XXXVII) ; quia Christus deitate fortis, et ordinibus cœlestium agminum regnum augmentans sempiternitatis, venit ad laborem passionis, sed in agro erravit, in mundo nullum immunem a peccato reperit. *Unde fratres suos quærens, in Dothain descendit* (*ibid.*), quia reconciliationem nostri sitiens, usque ad mortis defectum se humiliavit. Hebrom, interpretatur fortitudo vel *augmentum sempiternum ;* Sichem *humeri ;* Dothain, *defectus.* Auditum igitur audivimus a Domino, et legatum misit ad gentes ; quia in Verbi incarnatione certum nuntium accepimus de nostra redemptione. Quam prompte, quam devote suam expleverit legationem, nostramque operatus fuerit redemptionem, ipse manifestaturus.

Surgite, inquit, *et consurgamus adversus eum in prælium.* LITTERAL. Magna fuit dignitas nostræ conditionis ; sed major reverentia nostræ reparationis. Homo namque conditus fuisse legitur cum divino consilio : sed reparatus cum eodem, cui addita est gratia. Ibi enim ex consili dictum est ut homo fieret ; hic autem et consulte dicitur, et occulte Filius mittitur ut eum redimeret. Ibi ostensa est dignitas humana in modo, et forma consilii ; hic privilegium gratiæ, et excellentia naturæ in qualitate mysterii et quantitate supplicii. In utroque negotio excitamur ad dilectionem ; sed in secundo ad majorem accendimur devotionem ALLEG. Hinc Filius : Surgite, inquit, et consurgamus adversus eum in prælium. Surgite, inquit, ad angelos ; consurgamus, Pater, Ego et Paracletus : hæc dicens, non Deitatis divido essentiæ unitatem, sed personarum fideliter distinguo proprietatem. Adversus eum. Adversus scilicet diabolum, adversus mundum, adversus peccatum, adversus carnem. Surgite, inquit, ad angelos. Hic Isaias sub eadem persona : *Ite,* inquit, *angeli veloces ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alter* (*Isa.* XVIII). Hinc in eodem de Filio : *Ad gentem,* inquit, *fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et penat illum in conculcationem quasi lutum platearum* (*Isa.* X). Hinc Filius ad Patrem per Psalmographum : *Paratum,* inquit, *cor meum, paratum cor meum* (*Psal.* CVII). Hinc de Spiritu Pater ad Filium : *Ecce,* inquit, *puer meus, quem elegi ; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet Isa.* XII). Item, Pater de Filio et Spiritu Paracleto : *Quiescite,* inquit, *ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est ; quoniam excelsus reputatus est ipse* (*Isa.* II).

MORAL. Attendite diligenter quomodo angeli, quam prompte ad inimicorum mittuntur expugnationem ; quomodo beata et sancta Trinitas operatur redemptionem. Certissimus sum de victoria, ubi conflligit potentia, negotium ordinat sapientia, benignitas suggerit patientiam, et promittit stipendia. Consurgamus inquit Filius, Pater potenter extrudendo adversarium, ego sapienter occultando mysterium : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II) ; Spiritus benigne suscipiendo, et sanando miserum : *Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis* (*Sap.* I). Surgat Pater hostem Filio potenter prosternendo ; ego surgam sapienter nescium docendo. Clareat Patris potentia in hostium expugnatione. Pater vincula solvat humanæ captivitatis. Filius tenebras illustret humanæ cæcitatis. Spiritus munera suggerat, et desideria charitatis. Caveat lector, ne personarum confundat trinitatem, nec divinæ essentiæ dividat unitatem. Per hæc enim, quæ distingue, personarum proprietatem ostendo, non naturæ vanitatem confundo. Alioquin sicut Trinitas natura vel essentia una, sic et operatio omnimodo una. Scriptum namque est : *Quæcunque Pater facit, hæc eadem Filius similiter facit* (*Joan.* V) ; sed nec Spiritus ab hoc seducitur, qui eadem essentia, eadem potentia, eadem sapientia, idem Deus et est, et dicitur, et creditur, etc. Sequitur :

Ecce parvulum dedit te in gentibus. Contemptibilis es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum qui di-

cis in corde tuo. Quis me detrahet in terram? LITTERAL. Historialiter propheta sub persona Domini arguit et increpat, minatur et imperat in Idumæum : quod adversus fratrem suum, populum scilicet Judaicum insurrexerit, quod ei tempore calamitatis suæ insultaverit, quod hostes ejus ad eum expugnandum docuerit, sustentaverit, adjuverit, ostendens quis et qualis fuerit naturæ debito vel gentis merito, quid factus sit proprio vitio. Hæc tria ostendit ei Deus, scilicet naturæ debitum, culpæ vitium, pœnæ supplicium. Quia scilicet et contemptibilis natura, et sordidus cura, et detestabilis pœna. Primum ostendit ubi dicit : Ecce parvulum dedi te in gentibus, etc. Secundum ibi : *Si exaltatus fueris ut aquila,* et reliqua. Tertium ibi : *Usque ad terminum emiserunt te.* Quod vero populum Idumæum dicit in scissuris petrarum habitantem, morem gentis proprium tangit, quæ propter lignorum inopiam, et solis ardorem in cavernis rupium habitat, et terreis caveis.

ALLEGORICE. Dominus in gentilem populum invehitur ; qui spreto Creatore, et suæ naturæ decore, et honore divinæ gratiæ, et dono scientiæ, et cultu justitiæ, ad idololatriæ spurcitiam, ad morum immunditiam, ad nænias errorum et vanam philosophiam conversus, unde sese devote Creatori substernere debuit, inde pingui cervice armatus, adversus eum potius intumuit. Dicit ergo ad eum : Ecce parvulum sensu, gentilem cultu, contemptibilem actu, dedi te, hoc est justo judicio fieri permisi. Parvulum, inquam, intelligentia veritatis, gentilem ritu, et cæremonia infidelitatis, contemptibilem actione iniquitatis. Ad cumulum vero malitiæ inflavit te ventus superbiæ, cujus exigente merito in infidelitatis tenebras, et errorum caliginem incidisti. Nec his solum non contentus, sed errores prædicando, lucem tenebras asserendo, et bonum malum, veritatem mendacium autumando, alios ad ruinam adduxisti. Hinc est quod sequitur : Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ, exaltantem solium tuum : qui dicis in corde tuo quis me detrahet in terram ? Intuere ordinem miseriæ, cursum cadendi, et formam informem a Deo recedendi. Tumor præcedit superbiæ, tenebræ sequuntur ignorantiæ, infidelitas succedit idololatriæ. Hanc sequitur delectatio, et consensus immunditiæ, deinceps prædicatio malitiæ, demum contemptus virtutis, et odium justitiæ. Quod enim dicit : Superbia extulit te, tumor ostenditur superbiæ ; per petram, infidelitas ignorantiæ ; per scissuras, schismata idololatriæ ; per habitantem, consensum immunditiæ, per exultantem solium, prædicatio malitiæ. In eo quod dicit, in corde suo : Quis me detrahet in terram ? contemptum significat virtutis, et odium justitiæ. Sed Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere agit (*Psal.* XCIII) ; exaltatur judicando terram, dum superbis retributionem reddit. Hinc est quod dicitur :

Si exaltatus fueris ut aquila ; *Et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus.* LITTERAL. Quasi sidera videbantur gentili populo eorum numina. ALLEG. Sophistæ vero, et philosophi ut aquila. Aquilæ nempe juxta aliquid visi sunt philosophi et sophistæ, dum cordis oculos ad solem justitiæ erigunt, dum aciem mentis in ipsum veritatis radium ireveberate figunt. Sed aquila inde statim retrahitur ; quia post acceptam veritatis insitam notitiam, elationis merito philosophus et sophista ad errorum caliginem revertuntur : Hinc Apostolus : *Qui cum cognovissent,* inquit *Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I). Nidum suum gentilis populus inter sidera posuit, quando spem salutis suæ vel in angelis statuit, vel in hominibus : quos luce sapientiæ, et nitore justitiæ falso emicuisse credit. Sequitur :

Si fures introissent ad te per noctem ; si latrones, quomodo conticuisses ? Nonne furati essent sufficientia sibi ? Si vindemiatores intrassent ad te, nonne [nunquid] saltem racemum reliquissent tibi ? LITTERAL. Latrones, fuerunt sæculi potentes, fures, flamines et cæteri idolorum cultores : philosophi et sophistæ, vindemiatores. Hæc enim tria præcipue vigebant in idololatria : Philosophia scilicet, inanis superstitio, infamis potentia. Sæculares philosophi jactabant se possidere intelligentiam veritatis ; cultores idolorum sanctitatem religionis ; potentes, dominium libertatis. Sed de primis legitur : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (*Deut.* XXXII). De secundis : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia : et qui gloriantur in simulacris suis* (*Psal.* LXXVI). De tertiis. *Potentes potenter tormenta patientur : et fortioribus fortior instat cruciatio* (*Sap.* VI). Ac si diceret Dominus : Videte quod ego sum solus, et non sit alius Deus præter me. *Ego occidam, et ego vivere faciam ; percutiam, et ego sanabo ; et non est qui possit de manu mea eruere. Si destruxero, nemo ædificat ; si inclusero, nemo est qui aperiat* (*Deut.* XXXII). Nullus mihi similis in fortibus, nemo in legislatoribus ; sanctitate sum magnificus, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia. Quod nec sæcularis agere potentia, nec superstitio pestifera, nec inanis philosophia potuit, mea potentia, mea sapientia, mea benignitas valuit. Potentia mea destruxit, sapientia ædificavit, benignitas ornavit. Destruxit errorum falsitatem : ædificavit dogmatum veritatem ; ornavit infundendo charismatum largitatem. De prima legitur : *Deus cujus iræ resistere nemo potest* (*Job.* IX). De secunda : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX), et reliqua. De tertia : *Spiritus ejus ornavit cœlos, obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus* (*Job* XXVI).

ALLEG. Potentia sæculi, superstitio idoli, utraque sibi sufficientia rapuit. Philosophia vero racemorum aliquos post se reliquit ; quia nec prima libertatem, nec secunda securitatem, nec tertia veritatem, ad salutem dare vel ostendere potuit. Umbram, non corpus habuit ; imaginem, non rem exibuit. Verbum vero incarnatum ad liquidum

enucleavit omnia; ad integrum possidet universa; Esau perscrutatur abscondita : unumquemque ad terminum suum ducit, dum justo judicio pro cujuscunque merito finem debitum singulis imponit. Hinc Psalmista : *Non est*, inquit, *qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII). Calor Dei triplex esse legitur. Est enim alius extremæ damnationis ; alius piæ ultionis, alius gratæ dilectionis. De primo legitur : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (*Deut.* XXXII). De secundo : *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII). De tertio : *Vivit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Hierusalem* (*Isa.* XXXI). Nullus igitur abscondetur a calore ejus ; quia et impœnitens igne cruciabitur damnationis, et pœnitens igne purgabitur ultionis, et innocens igne jucundabitur dilectionis. Hinc salvator de seipso. *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Rom.* XII). Item idem : *Vivo ego*, inquit Dominus, *quia mihi flectetur omne genu, et omnis lingua [confitebitur mihi* (*Rom.* XIV). Et hoc est, quod subditur :

Quomodo scrutati sunt Esau investigaverunt abscondita ejus ; usque ad terminum emiserunt te. LITTERAL. Christus enim, et ejus apostoli, et eorum successores Esau abscondita scrutati sunt ; quia vita, moribus, doctrina, mundi pompam, ejus concupiscentiam, ipsius stultam sapientiam ejusdem idololatriam confutarunt et condemnarunt. Primam Christus in præsepio ; secundam in deserto ; tertiam in monte ; quartam in Jordane condemnavit, dum rex gloriæ pannis involvi ; dum panis vitæ, fame affici ; dum sapientia Dei, stulta fieri ; dum Deitas, servo sustineri voluit. Quomodo autem apostoli et eorum successores contra mundum, et errorem gentilium decertarunt et eorum docent eloquia, et passionum Christi testantur stigmata. Unde sequitur : Usque ad terminum emiserunt te.

ALLEG. Præfati viri mundum emiserunt usque ad terminum ; quia dum fregerunt lagunculas corporum, dum tubis sonuerunt prædicationum, dum lampade fulserunt miraculorum mundus expavit, victus succubuit, vinculis fidei colla præbuit. Hinc Psalmista : *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt ; tremor apprehendit eos* (*Psal.* XLVII). Admirati prædicatione insolitæ novitatis ; conturbati sunt in auditu, qui passi sunt fervore charitatis ; commoti sunt miraculis eatenus invisæ claritatis : et ideo emiserunt Esau usque ad terminum ; deduxerunt scilicet mundum usque ad prædestinatum fidei articulum. Unde et sequitur :

Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi ; invaserunt adversus te viri pacis tuæ. Qui comedunt panem tecum, ponent insidias subter te. LITTERAL. Viri isti cum diabolo et mundo fœdus inierant per cultum idololatriæ ; pacem fecerant per affectum concupiscentiæ. Panem cum eo comedebant, per prædicationem errorum, et pullulationem malitiæ. Sed viri fœderis illuserunt ei ; quia illi qui mundo curiosius servierant, qui idololatriæ devotius cultum exhibuerant, postmodum contra mundum prædicationis erexerunt gladium, contra cultum idololatriæ fidei objecerunt scutum, contra voraginem carnalis concupiscentiæ tutissimum religionis portum.

ALLEG. Illuserunt igitur ei amici ejus, annihilando ejus stultam sapientiam ; invaluerunt, destruendo idololatriam ; insidias posuerunt, carnalem annihilando concupiscentiam. Primo docendo fidei veritatem ; secundo miraculorum ostendendo claritatem ; tertio corporalem sustinendo passionem. Hinc Dominus ad Job de diabolo : *Nunquid ligabis eum ancillis tuis ?* (*Job* XIV.) In servis etsi despecta conditio est, tamen virilitas viget ; in ancillis vero cum conditione sexus jacet. Dominus autem diabolum, vel mundum ancillis suis ligare se asserit ; quia ad nostri redemptionem veniens, et suos contra mundum prædicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortioribus debiles, relictis divitibus elegit pauperes. Ancillis ergo suis Dominus fortitudinem, et mundi pompam dejecit ; quia, attestante Paulo : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (*I Cor.* I). Unde bene per Salomonem dicitur, in ædificatione domus sapientiæ inter cætera : *Ancillas suas misit, quæ nos ad arcem, et civitatis mœnia vocarent* (*Prov.* IX). Quod prædicatores infirmos abjectosque habere studuit, qui fideles populos ad spiritualis patriæ superna ædificia colligerent. Unde Dominus in Evangelio, Nathanaelem laudat, nec tamen in sorte prædicantium numerat (*Joan.* I) ; quia ad prædicandum eum tales venire debuerant, qui de luce propria nil habebant, ut in tantum solius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quantum aperte cerneretur, quod ad hoc agendum idonei per se non fuissent. Ut ergo mira potentia per prædicationem linguas claresceret, prius mirabilius actum est, ut ipsorum prædicantium meritum nullum esset. Sed quia quos contra diabolum vel mundum Dominus mittat, insinuavit ; nunc etiam quid ipsi agant, qui mittuntur, adjungit. Sequitur in eodem Job : *Concident eum amici, divident illum negotiatores* (*Job* XL). Quos Dominus per Job ancillas, amicos, negotiatores, vocat : hos Abdias fœderatos, pacificos, convivas nuncupat. Deinde eosdem invasores, illusores, insidiatores nominat. Sancti etenim prædicatores prius fuerunt ancillæ per formidinem, deinde facti sunt amici per fidem ; deinde negotiatores per prædicationis actionem : prius, inquam, fœderati cum mundo, vel diabolo per infidelitatem idololatriæ, pacifici facti sunt turpissimæ concupiscentiæ, convivæ per doctrinam malitiæ. Postea irrisores per fidei gratiam, invasores per obedientiam, insidiatores per veritatis doctrinam. Hinc per Salomonem de sancta muliere dicitur : *Sindonem fecit et vendidit, et cingulum tradidit Chananæo* (*Prov.* XXXI). In linteo sindonis, subtilitas designatur prædicationis. Hanc sindonem Ecclesia fecit et vendidit ; quia fidem, quam credendo texuerat, loquendo dedit, et in fidelibus vitam rectæ conversationis accepit. Quæ et Chananæo cingulum tradidit ; quia per

vigorem demonstratæ justitiæ fluxa opera gentilitatis astrinxit, ut hoc, quod præcipitur, vivendo teneatur. Prædicatores ergo suos Dominus, quærendo ancillas invenit, permutando amicos facit, ditando negotiatores reddit, ditatos virtutibus usque ad exercendum fidei negotium perducit, ut membra diaboli et filios hujus sæculi increpando, et suadendo tanto severius incidant, quanto et amici facti amore veritatis semetipsos verius copulant, atque ab eo peccantium animas tanto celerius subtrahant, quanto citius negotiatores idonei effecti, in semetipsis amplissimas virtutum apothecas monstrant. Dicit ergo Abdias sub persona Domini: Qui comedunt panem tecum, ponent insidias subter te; quia videlicet qui prius fluxe vixerant, animam carni ancillari fecerant, et mensæ dæmoniorum per consensum vitiorum participaverant, ii astutias dæmonum, mundi curas, carnis illecebras subtilius discernunt, celerius deprehendunt, sagacius judicant, virilius damnant. Prius namque collegit indoctos, et postmodum philosophos; et non per oratores docuit piscatores, sed per piscatores erudivit oratores. Sequitur :

Non est prudentia in eo. Alleg. Prudentia salutis est providentia, quæ nec in diabolo, nec in mundo, nec in carne fuit; quia et diabolus cecidit per elationem, et mundus per vanitatem corrumpitur, et caro per voluptatem infirmatur. Diabolus per superbiam, mundus per petulantiam, caro per concupiscentiam. Quæ autem super diabolo, vel mundo interpretati sumus, ad hæreticos, vel carnem referre possumus. Hæretici raptores spirituales terram sanctam invadentes, et Scripturas canonicas pervertentes induxerunt; *linguas suas acuerunt, arcum suum, rem amaram, intenderunt, ut sagittent in occultis immaculatum* (*Psal.* LXIII). Contra quos Abdias sub persona Filii propheticum intentat eloquium dicens :

Surgite, inquit, et consurgamus adversus eum, id est hæreticorum conventiculum, in prælium. Moralis. Quia hæretica perfidia multa sanitati fidei profert contraria, multa ad Patris, et Filii et Spiritus sancti profert injuriam. Ideo Filius cum gravitate consilii, et pondere auxilii, eorum expugnare decrevit dementiam. Surgite et consurgamus, etc. Arius minorem Patre Filium, Macedonius utroque minorem asserit Paracletum, Sabellius ipsum Patrem Filium; Manichæus Verbum negat carnem factum : et alter quod unum est perverse dividit, alter vero quod divisum vanissime confundit. Contra quorum destruendam insaniam Filius necessariam videns Patris potentiam, suam quoque sapientiam, et benignitatem Spiritus sancti, ait : Surgite, et consurgamus. Pater per potentiam, hæreticorum destruens falsitatem ego docendo fidei veritatem, Spiritus sanctus infundendo charitatem ut quia unum deitate, essentia, voluntate sumus, uno congressu vel conjunctos ad unitatem reducamus, vel reprobos ad æternam calamitatem impellamus. Sequitur :

Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valde. Moral. Parvulus fuit hæreticorum conventus inter gentes, contemptibilis merito. Parvulus sensu, contemptibilis actu. Parvulus agnitione veritatis, contemptibilis actione iniquitatis. Cui hoc Dominus dedit, quando cum talem, judicio fieri permisit, etc. Sequitur :

Superbia expellit te, habitantem in scissuris petræ; qui dicis in corde tuo : Quis me deducet in terram ? Moral. Superbia enim in hæreticis præcessit, cui error hæreticus justissime successit; quia si de Deo humiliter saperent, et in se humiliter sentirent, viam gradientes humilium nequaquam desererent. Hinc ipsa Veritas : *Super quem,* inquit, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) In mente igitur humilitatis, Spiritus habitat veritatis ; quia qui contemnit humilitatem, velit nolit, deserit veritatem. Scriptum namque est : *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem* (*Psal.* XXXV). Petra, est fides catholica, vel Scriptura authentica. Scissuræ, varietates hæresum, et sententiæ veritati fidei contrariæ. Solium, est hæretica doctrina. Solii exaltatio, perversæ doctrinæ dilatatio. Sequitur :

Quis me detrahet in terram? Dicere istud, est cæca et arrogans præsumptio, etc. Sequitur :

Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te. Hæreticus est ut aquila, quando intellectus ejus subtili irradiatur intelligentia : inter sidera nidum ponit, quando meritis sanctorum se comparat, falsa innocentia, et simulata justitia. Sed hunc Dominus detrahit in terram, quando subtilem ejus intelligentiam justo judicio cæcat ignorantia, et perfidam ejus justitiam, aperta detegit malitia. Hinc Psalmista : *Effusa est contemptio super principes : et errare fecit eos in invio, et non in via* (*Psal.* CVI), etc. Sequitur :

Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses ? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores intrassent ad te, nonne saltem racemos reliquissent tibi ? Ac si dicerent Dominus ad hæreticos : Si quis occulte velut fur, vel aperte ut raptor, insaniam molitur impugnare, vel sententias vestras, quibus errores vestros nitimini astruere, et in vinum quasi vindemiando reducere, et vinum sanæ intelligentiæ ad confusionem vestri exprimere, statim in eum insurgitur, squama squamæ conjungitur; quia quos similis reatus sociat concordi pertinacia, etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se invicem tueantur defensione, qui de mutua tristabantur læsione. Porro si sic prompti sunt hæretici ad superbam falsitatis defensionem, ego ero promptior ad veritatis ultionem, et errorum impugnationem. Sequitur :

Quomodo perscrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? Usque ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui ; illuserunt tibi, invaluerunt adversum te omnes viri pacis tuæ. Qui comedunt panem tecum, ponent insidias subter te. Latenter

subintroducit spiritus propheticus apostolorum doctrinam, et orthodoxorum Patrum super hæreticis victoriam, abscondita sophismata investigantium, sensus venenatos emungentium, et ad terminum veritatis cogente ratione eos educentium. De quorum numero Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus et cæteri hujusmodi exstitere : quorum nonnulli cum eis fœdus iniere pacem, aliquando tenuere panem quoque cum eis comedere. Ex quibus Augustinus, qui cum Manichæis Manichæus exstitit : quorum sectam resipiscens funditus destruxit. Illuserunt ergo Patres, hæreticis ratiocinando : invalnerunt, testimonia conferendo: insidias posuerunt, conventicula revocando.

Non est igitur prudentia in eo. In conventu videlicet hæreticorum, ubi et ratio falsitatem convincit, et divinum eloquium veritatem sancit, et conversionis gratia perfidiam ostendit. Possunt autem hæc tropologice ad carnem referri. Caro enim non immerito per Esau significatur; quia pilosa est concupiscentiis, et sanguinea vitiis, ac terrena operibus noxiis, concupiscentiis vanitatis, vitiis curiositatis, operibus iniquitatis. Unde Apostolus : *Scio,* inquit, *quia non habitat in me* (hoc est, in carne mea) *bonum* (*Rom.* VII). Item idem : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII). Sciendum autem, quod quando sermo divinus in carnem invehitur, non natura, sed culpa arguitur ; non conditio naturæ, sed defectus justitiæ ; non connexio elementorum, sed motus vitiorum. Sicut enim in homine duæ sunt naturæ, spiritus scilicet et caro, ita duo motus, quibus utrumque movetur, unus ad affectum justitiæ, alter ab affectu recedens gratiæ. Inde virtus nascitur, et vitium : ut si motus spiritus, virtus ; motus autem carnis, non aliud, nisi motus animi non obsequens spiritui. Ille spiritalis, facit spiritales. Iste carnalis, facit carnales. Ille spiritus vocatur ; hic carnis nomine designatur. Porro quia de ortu virtutis, et vitii se intulit occasio, libet paulo altius repetere, atque omnes motus animi generales subtilius discutere. Motus ergo animi generalis quinque partitus est. Aliquando enim cor hominis movetur tantum a diabolo, nonnunquam ab homine solo, aliquoties solum a Deo, aliquando ab homine et diabolo, aliquando ab homine et Deo. Primus est per culpæ suggestionem ; secundus per simplicem naturæ considerationem ; tertius per momentaneam gratiæ inspirationem ; quartus per illicitam delectationem; quintus per affectus virtutum, et Sponsi contemplationem. Primus et secundus homini est innoxius : tertius gloriosus ; quartus pœnalis : quintus remuneratorius. Quartus vitiosus, et damnandus. Quintus virtualis, et coronandus. Tertius avide suscipientibus. Indifferens est cum primo secundus. Quartus ad carnem, quintus refertur ad spiritum : tertius ad Deum : primus et secundus ad neutrum. Motus autem carnis generalis septifarius. Aliquando enim contra Deum, nonnunquam contra proximum, aliquoties contra seipsum, sæpe contra mundum, multoties contra negotium. Aliquando in proximum, aliquando in seipsum. Contra Deum, superbia ; contra proximum, invidia ; contra seipsum, ira ; contra mundum, avaritia ; contra negotium acedia. In proximum, luxuria ; in seipsum gastrimargia, seu gula. Hæc septem vitia sunt illa familia, quam dereliquit Dominus in medio populi sui, ut in ea erudiret Israelem, unde et ex sorte vocabulorum potest designari proprietas eorum. Hæc autem sunt vocabula. Primus dicitur Pheresæus ; secundus Hethæus ; tertius Hevæus; quartus Amorrhæus ; quintus Gergesæus; sextus Jebusæus ; septimus Chananæus. Primus interpretatur *superans ;* secundus, *tabescens* vel *navigationem sustinens ;* tertius, *lapides colligens ;* quartus, *amaricatus* vel *amaricans ;* quintus, *colonum ejiciens ;* sextus, *conculcatus* vel *conculcans ;* septimus, *commutatus* vel *commutans*. Per primum superbia ; per secundum invidia ; per tertium ira ; per quartum acedia ; per quintum avaritia ; per sextum luxuria ; per septimum designatur gastrimargia. Nos autem, quia ad sequentia transire disponimus, adaptationem singulorum per facilem lectoris exercitio relinquimus. Sciendum autem quod carnalis motus ille specialiter dicitur, qui soli carni servit, et per carnem ministratur, qui in præsenti per Esau designatur. Hic fratri suo Jacob insidias parat; quia virtutem tripliciter impugnat, per luxuriæ videlicet incontinentiam, per gulæ immoderantiam et per sensuum petulantiam. Per primam expugnatur flos castitatis ; per secundam honor sobrietatis ; per tertiam decus honestatis. Unde et Esau triplex sortitus est vocabulum, quo præfatum significatur infortunium. Terrenus enim est gastrimargia. Sanguineus luxuria. Pilosus petulantia. Pilosus superfluitate curiositatis. Sanguineus vitioso fluxu libidinis. Terrenus utroque ; onerosus appetitu crapulæ et ebrietatis. Abdias ergo sub persona Domini in carnem invehitur : imo Dominus per amicos suos expugnare eam aggreditur dicens ad eos:

Surgite, et consurgamus adversus eum in prælium. MORAL. *Qui enim Christi sunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt ; vos autem in carne non estis, sed Spiritus sanctus habitat in vobis* (*Gal.* V). *Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (*Joan.* III). *Qui enim seminaverit in carne, metet corruptionem ; qui autem in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (*Gal* VI). *Spiritus quidem promptus est : caro autem infirma* (*Marc.* XIV). Legitur in Psalmo : *In terra deserta, invia, et inaquosa : sic apparui tibi in sancto* (*Psal.* XIV). Et per Salomonem : *Cogitavi,* inquit, *a vino abstrahere carnem meam, ut transferrem eam ad sapientiam* (*Eccle.* II). Et sponsus in Canticis : *Vadam,* inquit, *ad montem myrrhæ, et ad collem thuris* (*Cant.* II). Et per Job : *Abyssus,* dicit : *Non est in me : et mare loquitur : non est mecum : nec invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII). Et in Hieremia : *Qui vescebantur voluptuose interierunt in viis : et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt*

stercora. Surgite ergo, amici mei, ad ultionem hostis, ad mortificationem carnis. Et quantum præparata est et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum (*Thren.* IV). De eventu ergo negotii nullatenus vobis timendum est : de spe triumphi minime vobis diffidendum est. Qui enim vos adjuvat, non potest vinci, quia omnipotentia est ; qui vos docet, non potest falli, quia sapientia est ; qui promittit, non potest corrumpi, quia justitia est ; non potest sustineri, quia æternus est ; non potest vitari, quia ubique est. Surgite, inquam, amici, quia hostis infirmus, locus congruus, adjutor invictus, victoria certa, merita multa, præmia digna. Hostis, caro infirma : locus, præsens vita : adjutor, Deitas summa : præmium, visio Trinitatis. Surgite a somno torporis, a lecto doloris, a languore desolationis. Primo per vigilantiam discretionis, secundo per mortificationem carnis, tertio per spiritualis gaudium consolationis. Consurgamus adversus eum in prælium : quia hostis est contemptibilis. Unde conversus ad hostem dicit : Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Motus enim carnis, inter illa quæ prædiximus vitia, parvulus est, quia momentaneus ; corruptibilis, quia inhonestus : parvulus, quia ubi grata mella fudit, fugit, et nimis tenaci ferit icta corda morsu. Contemptibilis est, quia nocet empta dolore voluptas. Parvulus est, quia bona negligit. Contemptibilis est, quia mala peragit. Parvulus est quia transitoria appetit. Contemptibilis, quia æterna despicit. Parvulus affectu, contemptibilis actu. Parvulus opere, contemptibilis merito. Sequitur :

Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petræ : qui dicis in corde tuo : Quis me detrahet in terram ? Petra hic intelligitur anima, quæ integra dicitur, quando ei nulla carnalis passio dominatur. Scinditur, quando impugnatione vitiorum dissipatur. Ergo scissuræ carnales sunt concupiscentiæ. Solium namque exaltat, qui opera carnis ad contemptum Dei prædicat. Dicere vero in corde : Quis me detrahet in terram ? est contempto Deo in voluptate sæculi, et sui spem salutis et æternitatis ponere. In quo tria notantur vitia : odium boni, amor mali, oblivio Dei Attendite diligentes quomodo infelix anima velociter cadit, a statu justitiæ subito deficit, in profundum malitiæ in momento decidit. Primum enim interius pestiferam voluptatem concipit, deinde in ea glorificationem ponit. In hac vero consensum figit, et postea deliberationem adhibet : deinceps operationem exhibet, postea contemptum Dei, deinde prædicationem peccati, deinceps odium boni, postea amorem mali, demum oblivionem Dei. Hic est decalogus inobedientiæ, quem in monte Sinai, quod interpretatur *humilitas*, Dominus dedit Moysi. Hunc Decalogum impleverat, qui dicebat : *Nescio Dominum ; et Israelem non dimittam* (*Exod.* V). Hunc et alii dicentes : *Quis est Omnipotens, ut serviamus ei ?* (*Job* XXI.) Et : *Quid nobis prodest si oraverimus eum ?* (*Ibid.*) Hunc etiam alii : *Coronemus*, inquiunt, *nos rosis, antequam marcescant. Relinquamus ubique signa lætitia nostræ. Comedamus, et bibamus : cras etenim moriemur. Hæc enim est sors, et hæreditas nostra* (*Sap.* II ; *Isa.* XXII). Sequitur :

Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : inde detraham te, dicit Dominus. Aquila fuit conditione angelus apostata : sed per superbiam factus est Leviathan. Sidera, sunt hominum genera lampade nobilitatis, claritate scientiæ, nitore divitiarum in mundo præ aliis lucentia. Nidus est, voluptatis inhonestæ pompa. Dicit ergo Dominus ad Esau, id est carnem : Si exaltatus fueris ut aquila, etc. Ac si diceret : Si dos Ægypti tibi cedat, flos sæculi arrideat, pompa ad votum tibi respondeat : si cutem apposite curaveris, si splendide epulata fueris, si incrassata divitiis, impinguata deliciis, dilatata obsequiis, *subter te tamen sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes* (*Isa.* XIV). Unde Apostolus : *Esca ventri et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet* (*I Cor.* VI). Hinc Dominus per Joannem in Apocalypsi : *Quia dicis*, inquit, *Sedeo regina, et vidua non sum et luctum non video : ideo in una die venient plagæ tuæ, mors, et luctus, et fames ; et ignis comburet te* (*Apoc.* XVIII) : quia fortis est Dominus, qui judicat illam. Item in eodem : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit nobis : et duplicate duplicia ; secundum opera ejus in poculo, quod miscuit, miscete, illi duplum* (*ibid.*).

Si fures introissent ad te, et latrones, quomodo conticuisses ? Nonne furati essent sufficientia sibi ! Si vindemiatores intrassent ad te, nonne saltem racemos reliquissent tibi ? Fures, sunt simulatores et callidi, qui provocant iram Dei. Latrones, sunt passiones et morbi. Porro dæmones, sunt vindemiatores. Primi simulate carnem macerant. Secundi eam gravissime cruciant. Tertii ipsam deturpant, et humiliant : sed omnes rapiunt sibi sufficientia : quia neque dæmon, neque morbus, neque hypocrita quidquam agit, nisi quod divina dispensatio disponendo permittit. Hinc Dominus per Job : *Circumdedi*, inquit, *mare terminis, meis, et posui vectem, et ostia, et dixi : Hucusque venies, et amplius non procedes, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII). Mare vero Dominus circumdat, quando impetus affligentium carnem judiciorum suorum dispensatione modificat : ut insani tumida unda fervoris plano frangatur littore occulte. Dicit ergo Dominus : Si fures introissent ad te, etc. Ac si diceret : Si illi, qui sine meo judicio nil possunt adeo te in angustia et contra tuum commodum affligunt, quid facient amici mei, qui te affligendo placebunt mihi, tuæ providentes utilitati ? Unde et sequitur :

Quomodo scrutati sunt Esau : investigaverunt abscondita ejus ? Amici Christi veritatis discipuli, Esau, id est carnis, abscondita investigant : quia non solum manifesta carnis opera, sed etiam carnalium cogitationum amputare student superflua.

Unde Job : *Quare lacero carnem dentibus meis et animam meam porto in manibus meis ?* (*Job* XIII.) Item : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI). Sequitur :

Usque ad terminum emiserunt te. Terminum, januæ dicit exitum : habet enim Esau, id est caro, thalamum, domum, atrium, lectulum. Lectus enim, iniquitas : thalamus, superfluitas : domus, curiositas : atrium est voluptas. Voluptas movet affectum, curiositas sensum, superfluitas consensum, iniquitas actum operum. Sancti ergo viri Esau usque ad terminum emittunt : quia iniquitatem ab actu, superfluitatem a consensu, curiositatem a sensu, voluptatem ab affectu sollicito, deducunt. Emittunt, inquam, usque ad terminum carnem, quando eam ad justam et debitam retrahunt necessitatem. Hoc egerat ille, qui dicebat : *Propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* XLIII). Hoc Apostolus, dicens : *Nihil in mundum intulimus, haud dubium quod nec inde auferre quid possumus. Habentes autem victum, et vestitum, his contenti simus* (*I Tim.* VI), etc. Sequitur :

Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te omnes viri pacis tuæ. Qui comedunt panem tecum ponent insidias subter te. *Mirabilis, Domine, facta est scientia tua ex me* (*Psal.* CXXXVIII). Mirabilis, inquam, es in sanctis tuis : qui das virtutem et fortitudinem plebi tuæ ; qui educis vinctos in fortitudine ; qui convertis mare in aridam, ut in flumine sicco pertranseant pede; qui mundi filios, carnis amicos, servos vitiorum, convivas dæmonum, mundi contemptores, carnis calcatores, vitiorum persecutores, dæmonum illusores fieri voluisti ; qui de execratione et mendacio consummationem annuntiasti. Unde scriptum est : *In agro Jezrahel lingent canes sanguinem Jezabel* (*III Reg.* XXI). In cane juxta sinistram significationem considerantur tria : juxta bonum quoque tria. Juxta malam, furor, libido, clamor. Juxta bonam, fides, zelus, doctrina. Fides custodiæ. Zelus vindictæ. Latratus doctrinæ. Jezrahel interpretatur *semen Dei.* Jezabel *fluxus vanus.* Per Jezrahel significatur Dei timor. Per agrum exercitatio et labor. Per Jezabel cura carnis et amor. In agro ergo Jezrahel lingunt canes sanguinem Jezabel : quia sancti et timorati viri per exercitium, et amorem divini timoris, curam funditus et amorem exterminant carnis. Hinc est illud Psalmographi : *Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII). Et hoc est quod Abdias dicit : Omnes viri fœderis tui, etc. Nota tria hæc : fœdus, pacem, convivium. Fœdus cum carne inierant per affectum, pacem per consensum, convivium per actum. Per affectum concupiscentiæ, per consensum petulantiæ, per actum malitiæ. Contra hæc tria opponuntur altera tria. Contra concupiscentiam illusio, contra petulantiam impugnatio, contra malitiam insidiæ. Insidiæ jejuniorum, impugnatio spiritualium exercitiorum, illusio virtutum. Jejunium namque robur carnis, id est ejus malitiam attenuat : et spirituale exercitium sensuum petulantiam exterminat : chorus virtutum inordinatam concupiscentiam amputat. Sequitur :

Non est prudentia in eo. Quia in Esau, videlicet in carne, nulla prudentiæ ejus apparent vestigia, nisi præfatorum trium claruerint vexilla. Primum namque carnis malitiam excludit : secundum ejus petulantiam sopit : tertium ejus concupiscentiam ejicit, etc. Sequitur :

Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa et prudentiam de monte Esau ? Et timebunt fortes tui a meridie, ut intereat vir de domo Esau. Juxta historiam, excidium comminatur Dominus Idumææ plebi. Juxta allegoriam, hæreticis, vel populo gentili. Juxta tropologiam, carni. Dies illa, de qua Dominus dicit, historialiter adventum Babyloniorum significat ad Idumææ destructionem. Allegorice adventum Christi in carne ad gentium vocationem. Tropologice ipsius adventum in mentem ad religionis conversionem. Dies hic prosperitatem, vel lætitiam significat vicinis gentibus collatam super Idumææ destructione. Hoc idem vocatis ad fidem ex eorum conversione. Hoc idem mutatis ad religionem ex eorum sanctificatione. Sapientia in hoc loco significat affectum malitiæ. Prudentia, calliditatem mundanæ astutiæ. Fortitudo, sæcularis cornu potentiæ. Mons, elationem superbiæ. Meridies, fervorem immundæ concupiscentiæ, etc. Sequitur :

Propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob operiet te confusio : et peribis in æternum. Causam eversionis Idumææ historialiter Dominus ostendit, eo quod adversus populum Israeliticum inique egit, negando consilium, subtrahendo auxilium, et multos eorum tempore obsidionis et calamitatis interfecit. Allegorice declarat Dominus hæreticos idcirco periisse, quod adversus Ecclesiam inique multis modis egerunt, quia fidem ejus corrumpere, tunicam Sponsi scindere, vineam Domini Sabaoth depascere studuerunt : viros ecclesiasticos persequentes, relegantes, circumdantes ; multos quoque vi, vel fraude et pretio corrumpentes. Tropologice vero indicat destructionem carnis, eo quod tempore tentationis insurrexit inique adversus dominium mentis : et inique depopulata est pretiosa quæque virtutis. Sequitur :

In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus ; et super Hierusalem mittebant sortem : tu quoque eras unus ex eis. Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis ejus. Et non lætaberis super filios Judæ in die perditionis eorum. Et non manifestabis os tuum in die angustiæ. Neque ingredieris portas populi mei, in die ruinæ eorum. Neque despicies et tu in malis ejus, in die vastitatis illius. Et non emitteris adversus exercitum ejus in die vastitatis illius : neque stabis in exitibus, ut interficias eos, qui fugerint. Et non concludes reliquos eorum in tribulatione ; quoniam juxta est dies Domini super omnes

gentes. Sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum. Historialiter ostendit in humanitatem Idumæorum, et crudelitatem eorum adversus populum Israeliticum, qui non solum tempore angustiæ ejus defuerunt auxilio, sed etiam ad ipsum inpugnandum inimicorum se junxerunt consortio. Et hoc est, quod dicit: In die cum stares, etc., usque et non despicies. Allegorice sævitiam ostendit hæreticorum in Christianos, qui tempore primitivæ Ecclesiæ, quando eos persequebantur, affligebant, trucidabant idololatræ, non solum nullam præbuerunt defensionem; verum etiam ipsis fuerunt præcipue in scandalum, et laqueum, et ruinam, et capticnem. Hierusalem, est Ecclesia; prælati, portæ ejus; exercitus, populus Christianus. Tropologice ostendit petulantiam carnis tempore tentationis insurgentem adversus animam: quæ non solum sensus suos cohibendo, membra sua castigando, non exhibuit ea servire justitiæ et Deo in sanctificationem, sed etiam arma iniquitatis peccato ea constituens, fecit illa servire immunditiæ et iniquitati ad animæ destructionem. Hierusalem, est contemplatio; portæ ejus, eminentia puritatis, spes immortalitatis, perfectio charitatis. Postquam ostendit præfatorum sævitiam, subsequenter declarat eorum dignissimam retributionem, et ipsorum justo Dei judicio impotem voluntatem in præfati populi destructionem dicens: Non despicies tu, etc. Ac si diceret: Non despicies, quia de codem calice bibes. Historice, dies peregrinationis asperitas est captivitatis; allegorice, cursus vitæ præsentis; tropologice, fervor manifestæ tentationis. Filii Judæ, filii sunt Ecclesiæ. Dies perditionis et angustiæ, est in hæresim evidens lapsus, vel in tentationem carnalem subitus casus. Porta populi, sanitas fidei vel confessio peccati. Exitus viarum, multiplex dubietas sententiarum vel multiformis occasio carnalium tentationum. Conclusio. Infidelitas, et desperatio. Dies Domini, adventus Christi, vel prosperitas vindictæ, vel illuminatio gratiæ. Super omnes gentes quia Deus alios vasa facit misericordiæ per gratiam, et alios per justitiam relinquit vasa iræ aptata in interitum et contumeliam, etc. Sequitur:

Sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam convertam in caput tuum. Quia nulla justior animadversio quam ea, per quam recipitur talio. Qui enim parat foveam, justum est ut incidat in eam.

Quomodo bibisti super montem sanctum meum: bibent omnes gentes jugiter: et bibent, et absorbebuntur, et erunt quasi non sint. Historice sermo propheticus dirigitur ad Idumæos; allegorice contra idololatras et hæreticos; tropologice contra carnem et sensus ejus animales, concupiscentiam et impetus ejus carnales. Mons historice Hierusalem est civitas illa terrena; allegorice Christus, et Ecclesia; tropologice contemplatio sancta. Est autem super montem bibere, de eversione præfatæ civitatis, vel de contemptu Christi, vel de abjectione Ecclesiæ, vel de lapsu animæ virtutibus ornatæ ad contemplationem Sponsi sublimatæ delectari et gaudere. Legamus Herodotum et Græcas barbarasque historias, et videbimus quomodo sub Assyriis et Babyloniis impletum est quod dicitur: *Juxta est dies Domini super omnes gentes* (*Psal.* CXXXVI). Quod autem sequitur: Sicut fecisti, fiet tibi; retributionem tuam reddet in caput tuum: hic est sensus, quem in psalmo legimus: *Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Hierusalem: qui dicunt, exinanite. Exinanite usque ad fundamentum in ea* (*ibid.*). Sicut enim supra montem sanctum meum bibisti cum Babyloniis atque lætatus es, sic omnes gentes, quas tecum habebas Babylonis in præsidio, versæ contra te, bibent et lætabuntur: et non solum bibent, sed etiam te absorbebunt, ut sint Idumæi quasi non sint. Vel certe ipsæ gentes cum te absorbuerint, absorbebuntur a Medis. Et hæc idcirco vindicta procedet, ut tu Hierusalem: te Babylonius, Babylonium Medus ac Persa consumat. Sequamur interpretationis ordinem. Juxta est, o hæretice, dies Domini super omnes gentes: prope est tempus judicii, in quo omnes judicandæ sunt nationes; sicut fecisti contra ecclessiasticos, fiet tibi; quomodo enim in nece eorum lætatus convivium celebrasti, et in monte sancto meo, hoc est Ecclesia, non meum calicem, sed diaboli bibisti, de quo in Habacuc dicitur: *Væ qui potum dat amico suo, et inebriat miscens fel suum, ut aspiciat nuditatem ejus* (*Habac.* II). Ita universæ gentes, vel fortitudines contrariæ suppliciis delegatæ, vel adversariæ virtutes, quæ bibent et absorbebunt sanguinem tuum, et ad extremum in cunctos veniente cruciatu, ipsæ quoque erunt quasi non sint. Qui enim perit ei, qui est; et qui dicit ad Moysem: *Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III), secundum regulam Scripturarum non esse dicitur. Unde et in Esther legimus: *Nè tradas, Domine, regnum tuum iis, qui non sunt* (*Esth.* XIV). Item per Isaiam: *Quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatæ sunt ei* (*Isa.* XL). Possumus hunc locum aliter interpretari. Quia lætati estis in ruina servorum meorum, eadem persecutio contra vos quoque veniet; et sicut lætati estis cum gentibus reliquis adversus populum meum, ita omnes gentes contra vos quoque venient, et devorabunt, et bibent, et percussione simili conterent. Tropologice adversus carnem, quæ dixerat: *Sedeo, et luctum non videbo* (*Apoc.* XVIII). Hinc ad eam: *Quantum præparata est, et in deliciis fuit tantum præparate ei tormenta, et luctum* (*ibid.*). Hinc Psalmista: *Filia Babylonis misera: beatus qui retributionem* (*Psal.* CXXXVI), etc. Hinc per Nahum dicentem ad spiritum: *Intra sub lutum et calca, subigens tene laterem* (*Nahum* III), laterem nuncupans carnem. Sequitur:

LITTERAL. *Et in monte Sion erit salvatio; et erit sanctus. Et possidebit domus Jacob eos, qui se possederant. Et erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula. Et succendentur in eis, et devorabunt eos: et non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.* Idumæa subversa, et ab inimicis gentibus, cum quibus prius contra Jacob fœdus inierat devorata, in

monte Sion reliquæ erunt eritque salvatio, et erit sanctus, hoc est vel ipse Dominus revertetur ad templum, quod propter peccatum populi dimiserat, vel dic sanctum absolute, id est Sanctum sanctorum. Et possidebit dominus Jacob sub Zorobabel, Esdra et Nehemia eos qui se hæreditate possederant, et erit domus Jacob, id est domus Juda ignis. Et domus Joseph decem tribuum flamma. Domus autem Esau, id est Idumæorum, qui tam sævi et crudeles exstiterant contra fratrem suum, vertetur in stipulam. Et quomodo ignis, et flamma stipulam, sic duo regna in unius sibi virgæ, juxta Ezechielem copulam fœderata vastabunt Idumæam, et devorabunt eam. Et non erit residuus ex populo qui possit eversionem vicinis gentibus nuntiare. Cuncta quæ diximus et dicturi sumus, videri sibi futuro tempore pollicetur, quando pro Christo recipient Antichristum impleta prophetia Salvatoris : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipistis me ; si alius venerit in nomine suo illum accipietis* (*Joan.* v). Quidquid contra Idumæam interpretati sumus, illis adversum Romanum regnum somniant.

Moral. Sane quod diximus justa historiam sub Zorobabel esse completum ; juxta prophetiam et mysticos intellectus in Ecclesia quotidie asserimus fieri, et in regno animæ adversus carnem in unoquoque compleri. Mons Sion, allegorice est Ecclesia; tropologice anima in specula cœlestium posita, contemplationis gaudio sublimata. Christo igitur super nubem levem ingrediente in Ægyptum, in Dothain descendente, dum lavacro aquæ salutaris per verbum Ecclesiam sanctificat Salvator, qui ejus revera sanctificatio ut eam sibi sine macula et ruga exhibeat, mons Sion sanctificari dicitur ; quia ei Salvator, ejus, ut dixi, sanctificatio per gratiam, et mysterium conjungitur. Hinc ipse Filius ad Patrem : *Pater*, inquit, *sanctifica eos in veritate* (*Joan.* xvii). Sermo tuus veritas est. Item ipse : *Ego*, inquit, *pro eis sanctifico meipsum* (*ibid.*). Vide, lector, novum et admirabile genus sanctificationis in forma nostræ redemptionis cujus dignitatis fuerit hominis conditio, quantoque majoris nomenti ipsius fuerit reparatio. Pater siquidem sanctificat, Verbum sanctificat, Spiritus sanctificat. Quid est enim sanctificare nisi sanctum facere? Quid est sanctum facere nisi a terreno appetitu, a terreno affectu, a terreno intellectu, a terreno contagio liberare ? Agios enim Græce, id est sanctus, Latine sine terra dicitur. Sane in unoquoque homine naturaliter sunt tria, quæ a terrenis contagiis pressa vitiorum sordibus inquinata, superba dæmonum tyrannide fuerunt subjugata. Hæc autem sunt posse, velle, nosse. Potentia namque hominis erat infirmata, voluntas sauciata, scientia turbata. Potentiam infirmatam senserat Apostolus, qui dicebat : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem ; video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* vii). Voluntatem sauciam noverat, cum diceret : *Non enim quod volo bonum, hoc ago ; sed quod odi malum, illud facio* (*ibid.*). Scientiam quoque turbatam viderat dicens : *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor.* xiii). Hoc etiam Psalmista breviter insinuat dicens. *Cor meum turbatum est* (*Psal.* xxxvii), ecce voluntas sauciata : *Et dereliquit me virtus mea* (*ibid.*), ecce potentia infirmata : *Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* (*ibid.*), ecce scientia obscurata. Porro in monte Sion, id est in sublimitate speculæ, in perfectione Ecclesiæ, erit salvatio : per potentiam Altissimi, per incarnationem Verbi, per adventum Paracleti. Et erit sanctus mons ille, videlicet Ecclesia, actu, sensu et affectu a terrenis omnino elevata, accipiens potentiam in sacramentis, sapientiam in præceptis, fecunditatem in donis : a Patre potentiam, sapientiam a Filio, fecunditatem a Spiritu, perinfusam ab ipso nobis charitatem. Hæc dicens non divinæ essentiæ unitatem divido, nec propria personarum confundo ; sed in operatione divina personarum discretionem, et unitatem essentiæ sane et fideliter ostendo. Est igitur mons Sion sanctus in adventu Salvatoris ; quia Ecclesia in adventu Sponsi sui, ab ipso accepit sanctitatem sacramentorum, sanctimoniam præceptorum, sanctificationem donorum ; ab ipso, inquam, sanctificatur, id est elevatur a terrenis fide sacramentorum, ab ipso elevatur spe præceptorum, ab ipso sublimatur charitate donorum cœlestium. Sanctificata igitur sanctificat et sanat ; illuminata illuminat ; quod accepit, præstat, ut sint ex uno omnes, et qui sanctificatur, et qui sanctificat. Sequitur.

Et possidebit domus Jacob, etc. Domus Jacob supplantatoris, Ecclesia est sponsa Salvatoris, de qua dicit Apostolus : *Et Moyses quidem tanquam famulus erat in testimonium eorum, quæ dicenda erant ; Christus autem tanquam filius in domo : quæ dominus sumus nos, si tamen initium spei usque ad firmum teneamus* (*Hebr.* iii). Iste Jacob, id est luctator, humani generis est Salvator. Historialiter Jacob quater luctatum reperimus. Ter cum fratre suo, semel cum angelo. Primo in utero ; secundo de lentis edulio ; tertio de benedictionis paternæ oraculo. Cum fratre de Mesopotamia rediens, ut præfatum est. Allegorice noster luctator, qui fortior superveniens domum fortis intravit, fortem alligavit. Cum angelo quarto loco vasa ejus diripuit : cui pater certamen dedit forte qui vinceret, ut scirent omnes quoniam omnibus potentior esset sapientia. Noster, inquam, Jacob ter jam luctatus dicitur ; quarto luctaturus pro certo creditur. Primo in utero, secundo in patibulo, tertio in sepulcro, quarto in extremo judicio contra servos et semen pessimum. In utero, immunitate peccati ; in patibulo, acquisitione gloriæ et honore regni ; in sepulcro, immortalite vitæ, et gloria triumphi ; in judicio, jure victoriæ et rigore justitiæ. Primo igitur supplantavit diabolum in utero ; quia vigilavit, et factus est sicut passer solitarius in tecto (*Psal.* ci). Secundo in cruce : *Cum exaltatus*, inquit, *fuero a terra omnia traham ad meipsum* (*Joan.* xii).

Tertio Judæum, juxta illud Psalmographi : *In multitudine virtutis tuæ mentiuntur tibi inimici tui* (*Psal.* LXV); et in Genesi : *Catulus leonis Juda : ad prædam ascendisti, fili mi, requiescens accubuisti, ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Quarto quoque supplantabit agmen hædorum dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Vides ergo, homuncio ; vides, pulvis, vermis, terra, cinis ; vides, inquam, quid pro te sustinuit sol justitiæ, quid pro te egit Dominus virtutum, quid per te passus est rex gloriæ. Hinc ipse per Isaiam : *Laborare,* inquit, *me fecisti in peccatis tuis, servire in iniquitatibus tuis* (*Isai.* XLIII). Item idem per eumdem : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Circumspexi, et non fuit auxiliator ; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret ; sed salvabit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi* (*Isai.* LXIII). Intuere quomodo indignatio auxiliata est ei. Ejus siquidem indignatio ipsius est incarnatio, per quam mortem destruxit, et eum, qui mortis habebat imperium, expugnavit peccatum, subjugavit sibi mundum. Primo luctatus est pro te ut tu diaboli fastum, et ejus regnavinceres ; secundo, ut mundi luxum et gloriam superares ; tertio, ut carnis concupiscentiam, et petulantiam sensuum expelleres ; ultimam vero faciet luctam, ut præfatis omnibus spretis, victor possideas gloriæ coronam. Hæ sunt quatuor vigiliæ, de quibus legitur in Evangelio : *Et si venerit,* inquit, *in secunda vigilia, et si in tertia venerit* (*Matth.* XIV), etc. Beati sunt servi illi. Et de quarta in eodem : *Quarta,* inquit, *vigilia, venio ad eos super mare* (*Ibid.*). Prima vigilia excutit mentem a somno iniquitatis ; secunda a languore curiositatis ; tertia a torpore illicitæ voluptatis ; quarta a negligentia vanitatis. Prima triumphat de peccato, secunda de mundo, tertia de carne, quarta de morte et ejus aculeo. Hujus vitæ formam, hujus disciplinæ normam, hanc quadrifariam luctam sponsæ suæ dereliquit. Unde et ad apostolos suos dicit : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum* (*Luc.* XXII), Prima Ecclesiæ lucta fuit cum idololatris ; secunda cum hæreticis ; tertia cum carnalibus ; quarta cum pseudochristianis. Primo supplantavit per confessionem unius Dei ; secundo per regulam sanctæ fidei, tertio vinculo ordinatæ dilectionis, quarto siti, zelo, æstu, gaudio beatæ contemplationis. De prima ad sponsam dicitur : *Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant.* VI.) De secunda quoque : *Pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis* (*Cant.* VII). De tertia : *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (*Cant.* VIII). De quarta : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris?* (*Cant.* III.) Hinc est quod Abdias dicit : Et possidebit domus Jacob eos, qui se possederant : quia videlicet Ecclesia præfato luctarum genere de præfatis inimicis novit gloriose triumphare, vel eos scilicet sibi potestative subjiciendo, vel ad sui fidem et disciplinam religiose convertendo. Sequitur :

Et erit domus Jacob ignis ; et domus Joseph flamma ; et domus Esau stipula : et succendentur in eis, et devorabunt eos, et non erunt reliquæ domus Esau, quia Dominus locutus est. ALLEGORICE. Per domum Jacob et Joseph significatur una Ecclesia ex gemino munere gratiæ geminum possidens statum, juxta disciplinæ duplicem gradum, duplicem religionis habens ornatum. Domus siquidem Jacob, est activa familia ; domus Joseph, contemplativorum excellentia. Jacob namque dicitur *luctator*, Joseph *augmentum* vel *augmentatio*. Domus Jacob in conflictu laborat vitiorum, in exercitio sudat virtutum, in palæstra æstuat disciplinæ, anxiatur in operibus pœnitentiæ. Domus vero Joseph in augmento gaudet consiliorum, in ostensione lætatur arcanorum, exsultat in varietate ferculorum, in suavitate tripudiat osculorum. Domus ergo Jacob in agro desudat actionis ; domus Joseph in lecto contemplationis. Jacob in Mesopotamiam fugit, consurgens de nocte ; Joseph cum fratribus suis epulatur, et gaudet fervente meridie. Ille fugit vitia, duce pœnitentia ; iste celebrat fratribus suis convivia, videlicet spirituum intrantium suscipiens colloquia. Ignis est æstus pœnitentiæ virilis ; flamma, splendor divinæ contemplationis. Ignis, est compunctio animi : flamma, ignea contemplatio sponsi. In igne duo : in flamma vero considerantur tria. In igne, calor et ardor ; in flamma, calor, ardor et splendor. Ignis consumit et accendit ; flamma devorat, accendit, et illuminat. Ignis pœnitentiæ consumit culpam, accendit naturam, consumit vitia, accendit merita, consumit iniquitatem, accendit ad virtutem ; flamma vero contemplationis consumit vanitatem, accendit ad perfectam charitatem, illuminat ad sponsi claritatem. Consumit quidquid est informe, accendit super cœleste, illuminat ad invisibile.

Per hæc, et his similia domus Esau fit stipula ; quia et operibus pœnitentiæ deletur iniquitas, et operibus justitiæ exterminatur perversa curiositas, et operibus gratiæ carnis illicita voluptas, et operibus gloriæ totius mundi expellitur vanitas. Esau interpretatur *sanguineus :* ipse est Seir, id est *pilosus ;* idem est Edom, id est *terrenus :* sanguineus iniquitate, pilosus curiositate, terrenus voluptate. Sanguineus actu, pilosus sensu, terrenus affectu. Hæc est domus Esau, caterva dæmonum et struthionum, grex porcorum, phalanx hædorum, servitus nequitiæ, cohors immunditiæ, cœtus gastrimargiæ. Horum sane partem succendit ignis domus Jacob, ardor videlicet pœnitentiæ et æstus compunctionis ; partem devorat flamma domus Joseph, calor scilicet divini amoris et splendor supernæ contemplationis. Tunc succenduntur in eis, et devorant eos. Esau

videlicet, quia rebelles filios et immites ultricibus flammis et gehennalibus incendiis devorandos hostiliter expellunt, vel per gratiam conversationis et vim dilectionis sibi misericorditer incorporant et fideliter ad se convertunt.

Possumus tropologice interpretari quæ superius allegorice dicta sunt. Cum enim sponsus sponsam suam visitare dignatur, illico sponsæ thalamus ornatur : ornatur, inquam, auro fidei et argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctimoniæ velis, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis. Lectus ambitur purpura mortificationis, linteo devotionis, lodice dilectionis ; odorifera circa cœlestium affectuum sparguntur gramina. Circa collum sponsæ, sanctæ famæ spirant opobalsama, in manibus unguentorum redolent pretiosissima. *Manus*, inquit, *meæ distillaverunt myrrham : et digiti mei pleni myrrha probatissima* (*Cant.* v). Quod de supernis Helios [id est sol] intuens, statim salit in montibus, colles transiens et percurrens hortum, transiens cellarium, festinat ad thalamum, et ruens in amplexum sponsæ, in lecto collocat eam contemplativæ gloriæ, dicens : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Et sic in monte Sion, in sublimitate perfectionis, in specula contemplationis fit salvatio. Tunc fit sanctus mons prædictus, imo ipsa sanctificatio. Si enim verum est, imo quia verum quod in Apostolo legitur : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.*, VI): spiritus veritati adhærens fit veritas, sanctitati fit sanctitas. Et tunc domus Jacob possidebit eos qui se possederant. Domus luctatoris conscientia est sponsæ salvatoris. Hæc conscientia Esau quadruplici afflixit, et supplantavit lucta : siquidem antequam ad persecutionem quis evadat, antequam ad arcem contemplationis transeat, in palæstra et stadio hujus luctæ quadruplicis anxiat et desudat. Primum dum latet in utero, id est dum moratur in sæculo, properando ad primogenita, id est ad religionis festinando exercitia, secundo jus primogenituræ lenticulæ pretio, id est cibi abstinentia coemendo ; tertio benedictionis paternæ gratiam pro fraudis genere extorquendo ; quarto cum angelo spiritualiter luctando. Primo supplantavit per confessionem, secundo per professionis subjectionem, tertio per dilectionis confessionem, quarto per supernæ claritatis contemplationem. Primo supplantavit per pœnitentiam, secundo per obedientiam, tertio per innocentiam, quarto per spiritualem sympathiam. In prima lucta superatur iniquitas, in secunda nefanda curiositas, in tertia illicita voluptas, in quarta illecebrosa vanitas. Iniquitas diaboli, curiositas proximi, voluptas propria, vanitas mundi. Domus Jacob fit ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau lupanar totius confusionis. In domo Jacob ardet ignis virilis pœnitentiæ, et in domo Joseph lucet flamma sapientiæ. In domo Esau abundat stipula totius malitiæ, in Esau revera lupanar, dolus, fraus et simulatio, quia pilosus est ; concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum, quia sanguineus ; mendacium, crudelitas, depopulatio, quia terrenus. Sanc in supplantatrice conscientia, stipulam devorante vitiorum, fenum comburente delictorum, ligna in cinerem redigente peccatorum, ignis ardet salutaris pœnitentiæ : qui Esau iniquitatem exterminat, curiositatem pestiferam pessundat. Porro in mente flamma divinæ dilectionis succensa, sole justitiæ illustrata, ad ipsum, jugi amoris studio conversa, in ipsius pulchritudinem assidue purissimi cordis spirituales oculos defixa, in provectu virtutum, in agone cœlestium affectuum, in desiderio cœlestis amplexus, in spe divini tactus, in odore osculorum, in siti super cœlestium desideriorum, penitus succensa flamma lucet cœlestis sapientiæ : unde prodeunt fructus innocentiæ, gemmæ nascuntur gratiæ, flores pullulant et opera gloriæ, quibus inordinata voluptas Esau comburitur, illecebrosa vanitas funditus atteritur. Flamma siquidem cœlestis sapientiæ consumit peccata, accendit merita, illuminat præmia.

Et hæreditabunt hi, qui ad austrum sunt, montem Esau, et qui in campestribus Philisthiim : et possidebunt regionem Ephraim, et regionem Samariæ : et Benjamin possidebit Galaad. LITTERAL. Reverso in regnum suum Juda, qui habitavit in meridie, et possedit cunctam regionem juxta divisionem Jesu filii Nave, quæ vergit ad scorpionem, id est omnem Achartumnam. Hi, qui prius terminis arctabantur angusti, possidebunt montem Esau, id est montes Seir et montana quæ Edom ante possederat. Qui autem habitant in Sichela, id est in campestribus Lidan et Emaus, Diospolim scilicet Nicopolimque significans, possidebunt Palæstinos, id est quinque urbes Philistinorum. Gazam, Ascalonem, Azotum, Acharon, Geth, vel omnem illam plagam quæ, juxta Actus apostolorum, Salonas appellatur. Dilatabitur quoque terminus filiorum Juda usque ad Ephraim, ubi nunc Neapolis est ; et usque ad regionem Samariæ, ubi Sebaste condita est. Benjamin autem, cujus ab Hierusalem contra septentrionem termini dilatantur, cunctam possidebit Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, et nunc Gerasii nuncupatur, juxta septuaginta Interpretes ; et montem Ephraim, et campos Samariæ, et Benjamin, et Galaad, ii qui fuerunt in meridie, possidebunt. Hoc utrum factum sit Deus viderit. Potest enim ex parte per annos quingentos usque ad adventum Christi esse completum. Et post adventum Christi per dilatationem fidei verius esse completum : quod certissime scio ; quia quotidie completur in nobis, et in regno Ecclesiæ confirmatur. Sequitur :

Et transmigratio exercitus hujus filiorum Israel omnia loca Chananæorum usque ad Sareptam, et transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit civitates austri. Et ascendent salvatores in montem Sion, judicare montem Esau ; et erit Domino regnum. Qui de Babylone, juxta volumen Esdræ et Nehemiæ, reversi fuerint in Judæam recte

transmigratio vocabuntur. Totus ille exercitus filiorum Israel tam ad meridiem, quam ad occidentem, et ad septentrionem possidebunt Idumæos, et Palæstinos, et montem Ephraim et Samariam. Benjamin, quia confinis est solitudini, specialiter obtinebit Galaad. Contra orientem vero cunctis, qui in terra Chananæorum sunt, imperabunt usque ad Sareptam Sidoniorum, ubi quondam Eliam pavit vidua. Porro qui de ipsa Hierusalem metropoli civitate translati fuerint Bosphorum, possidebunt civitates austri, quæ sunt in tribu Juda. Reversi enim in urbem suam, quæ vicina urbi sunt, obtinebunt. Cumque hæc expleta fuerant, sicut scriptum est in libro Judicum, mittebat Dominus salvatores, qui populum de captivitate salvarent. Sic accedent, et venient in montem Sion ut judicent atque discernant quasi subjectum, et servientem sibi montem Esau, id est Idumæos, subjugatisque omnibus erit Domino regnum. Hieronymus, Nos, inquit, ab Hebræo, qui nos in Scripturis erudivit, didicimus. Juxta Hebraicam veritatem Sapharat in præsenti, id est, Bophorum [Bosphorum] vocari non Ephrata ut placuit Septuaginta. Et quasi videns, inquit, est regio, ad quam Adrianus captivos transtulit. Quando ergo Christus noster venerit, tunc reversura est in Judæam etiam illa captivitas. Possumus autem locum quemlibet regni Babylonis intelligere, quem aliud arbitror. Nam consuetudinis est prophetarum, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philisthiim, cæteras nationes multis sermonibus eorum abuti, et servare idiomata provinciarum. Quia ergo lingua Assyriorum terminus, qui Hebraice vocatur Jebul, dicitur Sapharat : hunc sensum esse conjicio. Transmigratio Hierusalem, quæ in cunctis terminis, regionibusque divisa est ; urbes Austri, id est tribus suæ recipiet. Hæc Hieronymus ab Hebræo ; imo Hebræus a Hieronymo. Nos autem quia juxta historiam, ut potuimus, interpretati sumus, et inter confragrosos scopulos nostram naviculam reximus spiritualis intelligentiæ vela pandamus, ut, afflante Domino et sua reserante mysteria, læti perveniamus ad portum.

Allegor. Ecce Abdias in præsenti terram historialiter describit, spiritualiter dividit. Multas divisiones in divino eloquio legimus. Divisiones scilicet maris Rubri unde est illud : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones* (*Psal.* cxxxv). Et in Apostolo : *Divisiones autem gratiarum sunt : idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt : idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt : idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* xii). Sed et terræ divisiones quatuor exstitisse legimus. Prima facta est a Josue ; secunda ab Ezechiele ; tertia in præsenti Abdia. Porro a Salvatore quarta. Prima sacramentum est secundæ, secunda tertiæ, tertia quartæ. Unde prima eodem numero sic historialiter, quo et secunda spiritualiter juxta legem istam sese habet, tertia ad quartam. Intuere, lector, formam ordinis et splendorem proportionis. Sicut enim prima ad secundam, sic tertia se habet ad quartam. Et sicut prima ad tertiam, sic secunda ad quartam, sic secunda ad tertiam. Super proportionum judicio lectorem erudiendum arithmeticæ committo. Nostri autem propositi est opacitatis allegoricæ rimari latebras, et ipsius in lucem explanationis efferre tenebras. Prima ergo terræ divisio fit expugnatione præmissa hostium, vel subjugatione eorum ; secunda sine traditione hostili, vel alteratione civili : tertia cum subjugatione hostium voluntaria ; quarta sine conditione vel nervo subjectionis, sed cum gloria et gaudio mutuæ dilectionis. Prima divisio fit cum pœna et miseria, secunda cum pœna sine miseria, tertia sine pœna et miseria ipsius retento pudore, quarta sine pœna et miseria, omni remoto languore. Pugna est nolle consentire peccato ; miseria est illicito nolentem vexari incentivo ; pudor miseriæ eo titillari : remotio languoris exclusio tentationis. Quatuor sunt libertates : libertas arbitrii, libertas exercitii, libertas consilii, libertas gaudii. Prima divisio facta est cum libertate arbitrii, sed non cum libertate exercitii. Voluntas siquidem proprio mota arbitrio expugnavit quos potuit, sed non omnes subjugavit quos voluit. Unde et libertatem habuit in facultate et motu judicii, sed non eam habuit in negotio exercitii : quam revera si habuisset cunctos sibi ad nutum subjugasset. Secunda primam libertatem et secundam habuit ; sed caruit tertia, quia propria se movens voluntate, optata exercitii utitur facultate sed huic deficit consilii libertas, quia scientiæ et ordinis, exitus, principii nescivit attingere metas. Tertia omnes has tres habuit sed quarta caruit quia et voluntatem in motu, et facultatem in actu, et claritatem in sensu obtinuit, sed securitatem in affectu non habuit. Quarta vero omnia possidet ; quia et liberam voluntatem in electione, et facultatem celerem in actione, et sinceram claritatem in intentione, et securam perpetuitatem possidet in fruitione. Prima ergo libertas communis est omnium ; secunda generalis est conversorum ; sed specialis imperfectorum ; tertia generalis est perfectorum, et specialis in hoc sæculo Deo militantium ; quarta singularis est sponsum contemplantium, et cum eo lætantium. Prima propria est servorum, secunda propria est mercenariorum, tertia propria amicorum, quarta propria filiorum. Prima divisio fit per gratiam compunctionis ; secunda per disciplinam et propositum conversionis ; tertia per excessum mentis et eminentiam contemplationis ; quarta per gloriæ et honoris assumptionem, et immortalitatis statim ad Dei visionem. Prima fit, quando recedimus a tenebris et servitute peccati ; secunda, quando sponsum fugientem sequimur ad montem myrrhæ et ad colles Libani ; tertia, quando per desertum ut acies ordinata ascendimus ; quarta, quando atria supernæ civitatis intramus in hymnis. Quatuor sunt, quæ electis ad utilitatem et salutem, et felicitatem data sunt, exercitia scilicet, gaudia, merita, præmia ; exercitia religionis, gaudia contemplationis, merita

perfectionis, præmia beatissimæ visionis ; exercitia, inquam, disciplinæ, gaudia spiritalis unionis, et cœlestis copulæ, et merita justitiæ, præmia gloriæ. Prima ergo divisio pertinet ad exercitia, secunda ad gaudia, tertia ad merita, quarta ad præmia. Unde et in prima divisione a Josue dicitur ad filios Israel : *Hæ sunt gentes, quas Dominus Deus tuus dereliquit in medio tui, ut in eis erudiret Israelem* (*Judic.* III). Hinc iterum scriptum est : *Jebusæum autem habitatorem Hierusalem non potuerunt filii Juda delere* (*Judic.* I). Item in eodem : *Non potuerunt filii Manasses has subvertere civitates, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. Postquam autem convaluerunt filii Israel subjecerunt Chananæos, et fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos* (*Ibid.*).

De secunda divisione sic legitur in Ezechiele : *Hæc est terra, quam mittetis in sortem tribubus Israel, et hæ partitiones earum, dicit Dominus* (*Ezech.* XLVIII). Ad plagam septentrionalem portæ tres trium tribuum. A parte australi totidem aliarum trium ; a parte orientali, totidem aliarum trium ; a parte occidentali, totidem aliarum trium ; ab unaquaque plaga mensurabis quingentos cubitos et quatuor millia. Quid sunt hæ quatuor plagæ, nisi quatuor principalia genera compunctionis, per quæ mens sancta intrat et graditur ad templum sanctæ contemplationis ? Hæc autem sunt : Timor supplicii, dolor præsentis exsilii, spes cœlestis præmii, affectus spiritalis conjugii. Timor, plaga occidentalis ; dolor, septentrionalis ; spes, orientalis ; amor, australis. Quid autem sunt tres portæ ad singulas sitæ, nisi præfatæ compunctionis occasiones Trinitati dicatæ, fidei, spei, charitati consecratæ. Qui enim recte timet supplicia, fide fugit vitia, spe tendit ad merita, charitate currit ad præmia. Cui vero dolet præsentis exilii miseria, is fide tendit ad obedientiam, spe festinat ad justitiam, charitatis pennis volat ad gloriam. Porro qui immarcessibile sitit præmium, fide vitiorum fugit naufragium, spe spiritalis agonis ingreditur stadium, dilectionis studio suadente festinat ad præmium. Sane qui cœlestis unius desiderat copulam, fide totius iniquitatis a se removet maculam, spe ubique et semper innocentiæ sequitur regulam, ardenti charitatis desiderio cœleste matrimonium flagrat, et ad nuptias spiritales vehementi festinat studio. In omnibus his, visio ambitur Trinitatis, æternitas gloriæ, possessio felicitatis. Quod autem a porta usque ad templum quingentos numerat cubitos et quatuor millia illud est centenarius et millenarius uterque perfectionem significat. Centenarius quinquies multiplicatus honestam et perfectam significat continentiam sensuum. Millenarius quater multiplicatus, juxta fidem et regulam Evangelii significat puritatem conscientiæ, perfectionem vitæ, innocentiam morum. Per quatuor ergo millia integritas vitæ ; per quingentos cubitos designatur sanitas famæ. A porta ergo usque ad templum præfata numerantur ; quia ab ingressu compunctionis usque ad gaudium sanctæ contemplationis necessaria est sensuum honestas, vitæ integritas, conscientiæ puritas. Necessaria est, inquam, continentia sensuum, justitia actuum, innocentia affectuum. Sic itur de porta ad templum ; quia per præfatorum custodiam et sollicitudinem ad spiritalis matrimonii copulam, et sponsi parvenitur dulcedinem. Unde subsequenter adjungitur : *Et nomen civitatis ab illa die, Dominus ibidem* (*Ibid.*). Ex illa die, illa claritate, illa copula, illa unione, est civitatis nomen, Dominus ibidem ; quia custodit egressum sponsæ suæ ad actionem, et introitum ad contemplationem. Custodit portas professionis, observat vicos religionis, veneratur templum sanctificationis, munit arcem perfectionis, protegit populum spiritualium exercitiorum, chorum custodit cœlestium morum. In ea quoque Dominus panis est vitæ, vinum cœlestis justitiæ, indumentum justitiæ, lex clementiæ, lux spiritalis intelligentiæ, aqua spiritalis doctrinæ. Quid plura. Ex quo civitatis nomen est, Dominus ibidem (*Rom.* I) ; in ea omnibus Deus fit omnia. Hæc succincte diximus de prima divisione, et secunda.

Restat ut aliqua dicamus de tertia, et quarta. Et sicut prima pertinet ad exercitia, secunda ad gaudia ; sic tertia spectat ad merita, quarta ad præmia. Et sicut illa duo denario distinguuntur numero propter perfectionem actionis, sic ista septenario dividuntur propter spiritalem perfectionem et gaudium supernæ contemplationis. Dicit ergo Abdias :

Et hæreditabunt ii, qui ad austrum sunt, montem Esau, etc. Sub hoc septenario contra septem principalia vitia opponuntur septem terræ divisiones, septem orationis Dominicæ petitiones, septem Spiritus sancti dona, septem virtutes illis contrariæ, ad ultimum septem beatitudines. Primo loco pronuntur septem vitia contra quæ opponuntur præfatorum omnium antidota. Vitiorum primum est superbia, secundum invidia, tertium ira, quartum acedia seu tristitia, quintum avaritia, sextum gula, septimum luxuria. Contra hæc secundo loco constituuntur septem petitiones, quæ in Dominica oratione continentur. Prima, qua dicitur Deo : *Sanctificetur nomen tuum ;* secunda, qua dicitur : *Adveniat regnum tuum ;* tertia qua dicitur : *Fiat voluntas tuas, sicut in cœlo et in terra;* quarta, qua dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* quinta, qua dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ;* sexta, qua dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem ;* septima, qua dicitur : *Sed libera nos a malo.* Postea tertia loco sequitur septem dona Spiritus sancti. Primum, *spiritus timoris Domini ;* secundum, *spiritus pietatis ;* tertium, *spiritus scientiæ ;* quartum, *spiritus fortitudinis ;* quintum, *spiritus consilii ;* sextum, *spiritus intellectus ;* septimum, *spiritus sapientiæ.* Deinde quarto loco succedunt quatuor virtutes. Prima, paupertas spiritus, id est humilitas ; secunda, mansuetudo, sive benignitas ; tertia, compunctio, sive dolor.

quarta, esuries justitiæ, sive desiderium bonum; quinta, misericordia; sexta, cordis munditia; septima, pax. Novissimo vero loco disponuntur septem beatitudines. Prima, regnum cœlorum; secunda, possessio terræ viventium; tertia, consolatio; quarta, justitiæ satietas; quinta, misericordia; sexta, visio Dei; septima, filiatio Dei.

Superbia est amor propriæ excellentiæ. Invidia est odium felicitatis alienæ. Ira est furor injustus, vel illicita insania mentis commotæ. Acedia, seu tristitia, est inordinata amaritudo animæ, vel perversum animi tædium cum mærore. Avaritia, quæ est immoderatus appetitus habendi, per montem Esau significatur. Per Philisthiim, qui interpretatur *cadens poculo*, invidia: nam quasi extranea cadit potione, quia felicitati invidet alienæ. Hæc ita primo loco distingue, ut intelligas ipsa vitia quasi quosdam animi languores, sive vulnera interioris hominis, ipsum vero hominem quasi ægrotum, medicum Deum, dona sancti Spiritus antidotum, virtutes sanitatem, beatitudines felicitatis gaudium. Sunt ergo septem vitia capitalia sive principalia, et ex his universa mala oriuntur. Hi sunt fontes abyssi tenebrosæ, de quibus flumina Babylonis exeunt, et in omnem terram deducta stillicidia iniquitatis diffundunt. De quibus fluminibus Propheta in persona populi fidelis cecinit dicens: *Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, dum recordaremur, tui, Sion* (*Psal.* CXXXVI). De his septem vitiis vastatoribus, et unisam naturæ integritatem corrumpentibus, simulque malorum omnium germina producentibus quantum ad præsens officium explicandum sufficere putamus, loquamur. Septem ergo sunt: ex his tria hominem exspoliant, quartum exspoliatum flagellat, quintum flagellatum ejicit, sextum ejectum seducit, septimum seductum servituti subjicit. Superbia enim aufert homini Deum. Invidia aufert ei proximum. Ira aufert ei seipsum. Tristitia spoliatum flagellat. Avaritia flagellatum ejicit. Gula ejectum seducit. Luxuria seductum servituti subjicit. Nunc revertentes singula per ordinem explanemus. Superbia namque est amor propriæ excellentiæ, quando mens bonum quod habet singulariter diligit, id est, sine eo a quo bonum accepit. O pestifera superbia, quid agis? Cur suades rivulo ut se a fonte dividat? Cur suades radio, ut se a sole auferat? Cur? nisi dum et ille infundi desinit, arescat; et iste dum ab illuminante se avertit, tenebrosus fiat; Utrumque vero dum accipere cessat id quod necdum habet, continuo illud etiam quod habet amittat? Sicque fiat ut nec id quod habet utiliter habere possit, dum illud in eo a quo habet non diligit. Sicut enim omne bonum veraciter a Deo est ita nullum bonum extra Deum utiliter haberi potest: imo vero per hoc ipsum id quod habetur amittitur, quod cum eo, et in eo, quo habetur, non amatur. Nam quicunque non novit nisi hoc quod habet, bonum in seipso diligere necesse est, tu dum in altero bonum quod non habet aspe-

A xerit, tanto amarius sua eum imperfectio torqueat, quanto eum in quo omne bonum consistit minus amat. Et idcirco semper superbiam invidia sequitur: quia qui illic amorem non figit, ubi omne bonum est, quanto de suo perversius extollitur, tanto gravius de bono alterius torquetur. Sua igitur elationi justissime pœna deputata est, ipsa quam de se gignit invidia: quæ quia omne et commune bonum diligere noluit, recte nunc boni alieni livore tabescit. Quam profecto alienæ felicitatis successus non ureret, si illum in quo omne bonum est per amorem possideret. Nunc ergo quantum se per elationem contra Creatorem extollit, tantum per livorem sub proximo cadit; et quantum illic fallaciter erigitur tantum hic

B veraciter præcipitatur. Sed neque hic sistere potest semel cœpta corruptio. Mox enim ut de superbia invidia nata fuerit, iram ipsa de se mens parit misera. Propterea enim sibi de sua imperfectione irascitur, quia de bono alterius per charitatem non lætatur. Atque ideo id etiam quod habet ipsi displicere incipit, quoniam in alio id quod habere non potest agnoscit. Quod ergo per charitatem in Deo tantum habere potuit, id etiam quia per elationem extra Deum habere conabatur, per invidiam perdit proximum, et per iram seipsum. Quia ergo, omnibus amissis, nihil est, unde gaudeat infelix conscientia, per tristitiam in semetipsa colliditur; et quæ de alieno bono pie lætari noluit, de suo malo juste cruciatur.

C Post superbiam ergo, et invidiam, et iram, quæ hominem spoliant, continuo tristitia sequitur, quæ nudatum flagellat. Cui deinde succedit avaritia quæ flagellatum ejicit, quia, interno gaudio amisso, foris consolationem quærere compellit. Postea accedit gula, quæ ejectum seducit quia animum exterioribus inhiantem hoc vitium imprimis quasi e vicino tentans per ipsum naturalem appetitum ad excessum illicit. Postremo supervenit luxuria, quæ seductum violenter servituti subjicit quia postquam caro per crapulam inflata est, ardorem libidinis supervenientem emollitus atque enerviter resolutus animus vincere non potest. Servit enim sævissimæ dominationi mens turpiter subacta; et nisi exorata subveniat Salvatoris pietas non erit jam unde captivo servienti amissa res-

D tituatur libertas.

Sequuntur itaque septem petitiones contra septem vitia: quibus ille oratur ut subveniat, qui nos et orare docuit, et quod orantibus bonum ad sananda vulnera nostra et ad solvendum jugum captivitatis nostræ esset, daturum se promisit. Sed nos antequam ad explanationem harum veniamus, prius volumus alia adhuc similitudine demonstrare quantam in nobis corruptionem supradicta vitia generent, ut quanto periculosior languor ostenditur, tanto magis necessaria medicina comprobetur. Per superbiam igitur cor inflatur, per invidiam arescit, per iram crepat, per tristitiam conteritur, et quasi in pulverem redigitur; per avaritiam dispergitur, per gulam inficitur et quasi humectatur,

per luxuriam conculcatur, et in lutum redigitur, ita ut jam miser dicere possit : *Infixus sum in limo profundi : et non est substantia. Veni in altitudinem maris : et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII). Cumque huic limo profundi animus fuerit infixus et luto coinquinationis et immunditiæ involutus, evelli nequaquam potest, ad illum clamet, et auxilium ejus postulet, de quo Psalmista loquitur, dicens : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas, et aduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis* (*Psal.* XXXIX). Propterea ergo ipse nos orare docuit, ut totum bonum nostrum a Deo esse intelligamus. Prima ergo petitio contra superbiam est, qua Deo dicimus : *Sanctificetur nomen tuum.* Hic enim petimus, ut det nobis timere et venerari nomen suum, quatenus ei per humilitatem subjecti simus quia per superbiam rebelles et contumaces exstitimus. Huic petitioni datur spiritus timoris Domini ut ille ad cor veniens virtutem in eo creet humilitatis, quæ superbiæ morbum sanet, quatenus ad regnum cœlorum, quod angelus superbus per elationem perdidit, homo humilis pervenire possit.

Secunda petitio est contra invidiam, qua dicitur : *Adveniat regnum tuum.* Regnum siquidem Dei est salus hominum : quia tunc Deus in hominibus regnare dicitur, quando ipsi homines subjiciuntur, et modo ei adhærendo per fidem, et post inhærendo per speciem. Qui ergo petit ut regnum Dei adveniat, ille profecto salutem quærit omnium, ac per hoc quod pro communi omnium salute postulat, livoris vitium se reprobare demonstrat. Huic petitioni datur spiritus pietatis, ut ipse ad eor veniens, ad benignitatem illud accendat quatenus ad eamdem homo æternæ hæreditatis possessionem, ad quam alios pervenire cupit, ipse perveniat.

Tertia petitio est contra iram, qua dicitur : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Hac sibi placere indicat, quiquid voluntas Dei sive in se, sive in aliis secundum arbitrium suæ dignationis dispensat. Huic ergo petitioni datur spiritus scientiæ, ut ipse ad cor veniens erudiat illud et salubriter compungat, ut sciat homo malum, quod patitur ex sua culpa provenire : si quid autem boni habeat, ex misericordia Dei procedere ; ac per hoc discat sive in malis, quæ sustinet, sive in bonis, quæ non habet, contra Creatorem non irasci sed per omnia patientiam exhibere. Optime ergo per compunctionem cordis, quæ spiritu scientiæ operante interius ex humilitate nascitur, ira et indignatio animi mitigatur : quia e diverso stultum ira interficit, quando per impatientiæ vitium agitatus, atque cæcatus, vel malum quod patitur se meruisse, vel bonum quod habet per gratiam accepisse non cognoscit. Hanc autem virtutem, id est, compunctionem sive dolorem, præmium consolationis sequitur, ut qui se hic sponte coram Deo per lamenta affligit, illic verum gaudium et lætitiam invenire mereatur.

Quarta petitio est contra tristitiam, seu acediam, qua dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Tristitia namque est animi tædium cum mærore : quando mens quodammodo tabefacta, et vitio suo amaricata, interna bona non appetit, atque omni vigore emortuo, nullo spiritualis refectionis desiderio hilarescit. Propterea ad sanandum hoc vitium deprecari nos oportet misericordiam Domini, ut ipse solita pietate animæ tædio suo languenti internæ refectionis pabulum admoveat : ut quod ipsa absens nescit appetere, gustus præsentis admonita incipiat amare. Datur ergo huic petitioni spiritus fortitudinis, ut fatiscentem animam erigat : quatenus illa, pristini vigoris virtute recepta ab affectu sui tædii ad desiderium interni saporis convalescat. Creat ergo spiritus in corde famem justitiæ, ut dum hic per desiderium pietatis fortiter accenditur, illic pro præmio plenam beatitudinis consequatur satietatem.

Quinta petitio est contra avaritiam, qua dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Justum enim est ut in reddendo debito non debeat esse anxius, qui in exigendo noluerit esse avarus. Atque idēo cum a nobis per Dei gratiam vitium avaritiæ tollitur, qualiter a nostro debito absolvi debeamus, exposita salutis conditione, donatur. Huic ergo petitioni datur spiritus consilii, qui doceat nos in hoc sæculo libenter peccanti in nos misericordiam impendere, quatenus in futuro cum pro peccatis nostri rationem reddituri sumus, mereamur misericordiam invenire.

Sexta petitio contra gulam, qua dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem,* id est, ne induci permittas in tentationem. Hæc est tentatio quæ nos illecebra carnis sæpe per naturalem appetitum ad excessum trahere nititur, et latenter voluptatem subjicit, dum manifeste nobis de necessitate blanditur. In quam profecto tentationem tunc nequaquam inducimur, si sic studemus secundum mensuram necessitatis naturæ subsidium impendere ut tamen semper meminerimus appetitum ab illecebra voluptatis coercere. Quod ut implere valeamus datur nobis petentibus spiritus intelligentiæ, ut interna refectio verbi Dei appetitum exteriorem cohibeat, et mens spirituali cibo roboretur, ut eam non valeat corporalis egestas frangere, nec carnis voluptas superare. Propterea namque et ipse Dominus tentatori suo dum esurienti sibi fraudulentiam de exterioris panis suggestione faceret, respondit dicens : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV) ; ut aperte demonstraret quod cum mens illo interius pane reficitur, non magno opere curat si foris ad tempus famem carnis patiatur. Datur igitur contra gulam spiritus intelligentiæ : sed ille ad cor veniens emundat illud atque purificat.

Septima petitio est contra luxuriam, qua dicitur : *Libera nos a malo.* Nam licet, ut alibi diximus, multiplex est malum, ut malum corporis et malum animæ ; malum quod est culpa, malum quod est pœna ; malum hujus sæculi, et malum futuri ; ta-

men præcipuum malum potest quodammodo censeri luxuria, quæ hominem illecebris captum in A servitutem redigit. Unde per donum sapientiæ liberari petimus dicentes : *Libera nos a malo.* Amen.

DE QUINQUE SEPTENIS SEU SEPTENARIIS

OPUSCULUM.

CAP. I. — *Quænam sint quinque septena in sacra Scriptura contenta.*

Quinque septena in sacra Scriptura, frater, inveni, quæ volo, si possum, sicut postulas, prius sigillatim enumerando, ab invicem distinguere ; postea vero quam inter se habeant convenientiam, eadem per singula sibi conferendo demonstrare. (50*) Primo loco ponuntur septem vitia, id est primum superbia, secundum invidia, tertium ira, quartum tristitia, quintum avaritia, sextum gula, septimum luxuria.

Contra hæc secundo loco constituuntur septem petitiones, quæ in Dominica oratione continentur : Prima, qua dicitur Deo : *Sanctificetur nomen tuum;* secunda, qua dicitur : *Adveniat regnum tuum ;* tertia, qua dicitur : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra ;* quarta, qua dicitur : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ;* quinta, qua dicitur : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ;* sexta, qua dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem :* septima, qua dicitur : *Sed libera nos a malo.*

Postea tertio loco sequuntur septem dona Spiritus sancti. Primum, *spiritus timoris Domini ;* secundum, *spiritus pietatis ;* tertium, *spiritus scientiæ ;* quartum, *spiritus fortitudinis ;* quintum, *spiritus consilii ;* sextum, *spiritus intellectus ;* septimum, *spiritus sapientiæ.* Denique quarto loco succedunt septem virtutes. Prima, paupertas spiritus, id est humilitas ; secunda, mansuetudo sive benignitas ; tertia, compunctio sive dolor ; quarta, essuries justitiæ sive desiderium bonum, quinta, misericordia ; sexta, cordis munditia ; septima, pax. Novissime quinto loco disponuntur, septem beatitudines. Prima, regnum cœlorum ; secunda, possessio terræ viventium ; tertia, consolatio ; quarta, justitiæ satietas ; quinta, misericordia ; sexta, visio Dei ; septima, filiatio Dei. Hæc ita primo loco distingue, ut intelligas ipsa vitia quasi quosdam animæ languores, sive vulnera interioris hominis ; ipsum vero hominem, quasi ægrotum ; medicum, Deum : dona sancti Spiritus, antidotum ; virtutes, sanitatem ; beatitudines, felicitatis gaudium.

CAP. II. — *Quantam perniciem homini inferant septem vitia mortalia.*

Sunt ergo septem vitia capitalia, sive principalia, et ex his universa mala oriuntur. Hi sunt fontes et abyssi tenebrosæ, de quibus flumina Babylonis B exeunt, et in omnem terram deducta, stillicidia iniquitatis diffundunt. De quibus fluminibus Psalmista in persona populi fidelis cecinit, dicens : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*Psal.* CXXXVI). De his septem vitiis vastatoribus, et universam naturæ integritatem corrumpentibus, simulque malorum omnium germina producentibus, quantum ad præsens negotium explicandum sufficere putamus, loquemur. Septem ergo sunt, et ex his tria hominem exspoliant ; quartum, exspoliatum, flagellat ; quintum, flagellatum ejicit ; sextum, ejectum seducit ; septimum, eductum servituti subjicit. Superbia enim aufert homini Deum ; invidia aufert ei proximum ; ira aufert ei seipsum ; tristitia C spoliatum flagellat ; avaritia flagellatum ejicit ; gula ejectum seducit ; luxuria seductum servituti subjicit. Tunc revertentes, singula per ordinem explanemus. Diximus, quod superbia aufert homini Deum : superbia namque est amor propriæ excellentiæ, quando mens bonum, quod habet, singulariter diligit, id est sine eo, a quo bonum accipit. O pestifera superbia quid agis ? Cur suades rivulo ut se a fonte dividat ? cur suades radio ut se a sole avertat ? cur, nisi ut et ille dum infundi desinit, arescat, et iste dum ab illuminante avertitur, tenebrosus fiat ; uterque vero, dum accipere cessat, id quod necdum habet, continuo illud etiam quod habet amittat. Hoc profecto tu agis, cum doces dona extra datorem diligere, ut qui partem D boni, quod ab illo datum est perverso sibi vindicat totum bonum, quod in illo est, amittat : sicque fiat ut nec id quod habet : utiliter habere possit, dum illud in eo a quo habet non diligit. Sicut enim omne bonum veraciter a Deo est, ita nullum bonum extra Deum utiliter haberi potest. Imo vero per hoc id ipsum, quod habetur, amittitur ; quod in eo, et cum eo, a quo habetur, non amatur. Nam si quisquam non novit, nisi hoc, quod habet, bonum in semetipso diligere necesse est, ut dum in altero bonum, quod non habet, aspexerit, tanto amarius sua eum imperfectio torqueat, quantum eum, in quo omne bonum consistit, non amat. Et idcirco superbiam semper invidia sequitur ; quia qui illic amorem non figit, ubi omne bonum est quando de suo perversius extollitur, tanto gravius de bono alieno torquetur. Sua igitur elationi justissime pœna deputata est ; ipsa, quam de se

(50*) Quæ sequuntur usque ad *Septima petitio,* etc., paucis mutatis, legere est supra col. 400, lin. 37.